XXVIII

15 K 1 15. 1. 192
Digitized by Google

Angd 5294.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

IOANNIS GEORGII FRICKII, IOAN. FIL.

τοῦ μακαρίτου

A. M. AD AED. SS. TRINIT. VLM. PASTORIS ET GYMNASII
VISITATORIS ITEMQVE SOCIETATIS TEVTONICAE
LIPSIENSIS SODALIS

COMMENTATIO
DE
DRVIDIS
OCCIDENTALIVM POPVLORVM PHILOSOPHIS

MVLTO QVAM ANTEA AVCTIOR AC EMENDATIOR.

ACCEDVNT
OPVSCVLA QVAEDAM RARIORA
HISTORIAM ET ANTIQVITATES DRVIDARVM
ILLVSTRANTIA
ITEMQVE
SCRIPTORVM DE IISDEM CATALOGVS.

RECENSVIT SINGVLA DIGESSIT AC IN LVCEM EDIDIT
FRATER GERMANVS
ALBERTVS FRICKIVS A. M.
VERBI DIV. MINISTER POES. P. P. ET BIBLIOTH. ADI. VLMENS.
ITEMQVE AMPLISS. ORDINIS PHILOS. LIPS. ADSESSOR.

VLMAE
APVD DANIEL. BARTHOLOMAEI ET FILIVM.
CIↃ IↃ CC XLIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO ILLVSTRI

MAXIME GENEROSO AC MAGNIFICO

DANIELI BALDINGERO

IVNIORI

INCLITAE AC LIBERAE S. R. IMPERII

REI PVBLICAE VLMENSIS

MAGNI NOMINIS SENATORI

SVPERIORIS IVDICII ADSESSORI

AC AEDILITII SACRI PRAESIDI

ITEMQVE

AD SVEVICI CIRCVLI COMITIA

ABLEGATO ORDINARIO

DE MVNERIBVS SVIS AC RE PVBLICA OMNI

EXIMIE DVDVM PROMERITO ET ADHVC MERENTI

MAECENATI SVO PROPENSISSIMO

LIBELLVM HVNC

VETERI CLIENTVM MORE CVLTV

QVO FIERI POTEST DEVOTISSIMO

OFFERT FELICIA QVAEVIS PRECATVS

ALBERTVS FRICKIVS.

Ex Libr. Fr. Franc. Raim. Adami N°

Digitized by Google

NOn heri demum aut nudius tertius, quod nunc exſequi audeo, conſilium inire debui, dicandi huius, excelſo NOMINI TVO, VIR ILLVSTRIS, libelli exigui, ſed ab eo ſtatim tempore, quo cura illius ſuſcipienda mihi erat, inſtituendum ad TE in primis illum, quum edendus aliquando eſſet, iudicaui. Namque ſi vel nullam mei in hoc habendam negotio ratio-

Digitized by Google

rationem eſſe arbitratus fuiſſem, plurimam vero arbitratus, opinor, quam rectiſſime, erant tamen longe aliae cauſae omnino grauiores, quae vt id facerem non tam ſuaſerunt, quam mihi prorſus imperarunt, quaeque veniam audaciae meae, incomta et agreſti ſcriptione negotia TVA interpellanti, tanto pollicitae certius, quanto TE quidem illae, DOMINE, propius attingunt. Igitur et longius nunc quidem proſcripto, quo alioqui perfuſum me numquam non eſſe decet, dignitatis TVAE metu, oppido verecundo, exponendas mox illas ſentio, ne temerarius TIBI ipſi, non dicam aliis TVI cauſa, videar, qui exilem hunc libellum nuncupatum dedicatumque TIBI cupio. Auctoris ille nomen praefert, adeo TIBI, VIR ILLVSTRIS, non ignoti, vt potius inde a triginta annis carum illud TIBI ante multos acceptumque exſtiterit; ita enim amare non tantum verum et diligere beatum fratrem meum dignatus es, vt inde a prima adoleſcentiae lanugine perpetuam cum illo amicitiam inires, eamque poſthac integram praeſtares redux finito feliciter academiarum et peregrinationum curriculo, et ſeruandam quoque perpetuo, non obſtante honorum TVORVM magni nominis faſtigio, ad vſque eius obitum nimis eheu! praematurum, ſtatueres. Hunc igitur adſpernaturum TE mortuum iam credam, cui viuo tanto TV opere fauiſti, et cui etiam defuncto, quum efferretur, ipſe ſincere es illacrimatus? Immo vero, quum viciſſim TE co-

leret ille, quoad viueret, admodum reuerenter, vt decebat, et vel ipſe, quando datum fuiſſet,in lucem libellum proferre, nuncupatoria eiusmodi ad TE epiſtola, quanti TE faceret, publice teſtaturus fuerat, ego iam, qui, quod ille facturus erat, exſequor, nihil omnino facere TIBI videbor, quod indignationem TVAM mereat, et vero quod gratia TVA ac propenſa voluntate, ſi non plane dignum, ſaltim non ſit indigniſſimum. Neque vero, libellum ſi ſpectes ipſum, non idem mihi eamdem promittere poteſt longe prolixiſſimam. Sacerdotes ille deſcribit,veteris etiam Germaniae noſtrae, non illos quidem ſolos, quorum religionem erat interpretari, et ſacra curare ad vnum omnia, ſed tales cum maxime,iuſtitiae quos ſacerdotes iure vocaueris,a quorum partibus erat, legibus proſpicere ciuium ſaluti, et conſiliis,bene cuncta ordinare,quae vel ad rei gubernationem publicae, vel ad coetuum integritatem ſacrorum, vel denique ad ſcholarum omnis conſtitutionem ordinis requiri poterant,domi porro foriſque nobiliſſimis pace belloque et arduis maxime negotiis fungi, denique magna qui, immo ſumma, inter omnes, ob muneris amplitudinem, conſiliorum prudentiam, et ſi quae ſunt magnis dignae hominibus virtutes aliae, auctoritate, quanta fieri potuit, maxima eminebant. Antiquitates complectitur libellus eruditorũ aeque ac clarorum in re publica virorum, quae, voluptatis quidquid ac deliciarum habent, a virtutis, quo illi coruſcabant,

bant, ſplendore accipiunt, tum venuſtam priſcae integritatis fideiqueque Germanae imaginem exprimunt, vt difficile omnino ſit, hac non adfici aut delectari, ſi vel minimum aliquis litterarum ac antiquitatum capi ſe dulcedine ſit paſſus. Haeccine TIBI ſorderent, VIR MAXIME GENEROSE, qui talem ipſe iuſtitiae ſacerdotis perſonam ſuſtines atque agis non mutam certe, plurima ſed grauitate aeque ac virtute excellenter conſpicuam; qui locum inter primi ſenatores ordinis ita egregie conſilio pariter atque prudentia ornas, vt nulla re magis, quam ciuium TE bono delectari non tam intelligant, quam vno omnes ore fateantur; qui, dum bonos iuuare nullo non tempore ſtudes, ita tamen illos iuuare ſoles, vt, quod princeps TVA publicae rei, non priuatae, cura eſſe pridem ſueuerit, cuncti TIBI proin laeti ſemper alacresque adſurgant? Illa ne TIBI diſplicitura crederem, VIR ILLVSTRIS, qui in ſacro illo, nec niſi maxime mihi verecunde appellando, concilio talem TE ſemper praeſtas, qualem optant boni, nec meliorem precari a Numine ſanctiſſimo liceret, id eſt, diuinae gloriae reuerentiſſimum, eccleſiae omnis coetuumque illius ſingulorum vnice intentum ſaluti, ſcholarū commodis vigilanter ardueque proſpicientem, denique omnia, quae incliti ſenatus voluntate commiſſa TIBI ſunt munia, ita religioſe, caſte, grauiter atque ſollicite obeunda ſtatuis, vt ex omnibus, quae domi foriſque, vel ciuitatis almae noſtrae, vel communis

nis patriae cauſa agenda ſuſcipis, integerrima TIBI laus vndique conſtet? TIBI ne conſecrari iſta iure optimo poſſe aut debere dubitem, VIR MAGNIFICE, qui, quum et litterarum et litteratorum apud nos curam geris publicam, ipſe, quo pridem imbutus es, litterarum amorem adhuc non deponis, ſed potius ſeruas eleganter, atque per otia TVA vnice delectaris iisdem; qui non olim modo ſollertiſſimus eruditae ſcrutator antiquitatis multo plurimas Europae prouincias, Germaniam noſtram, Belgium vniuerſum, Angliam, Galliam Italiamque, et quae ſunt aliae, fructu ac ſtudio non minori peragraſti, ſed adhuc variis, quarum callentiſſimus es, linguis conſcriptos euoluis haud perfunctorie libros, non ſine voluptate, tum pretioſae vetuſtatis theſaurum, numos quos vocamus, colligis ſtudioſe in dies ac adauges; qui tenellos generoſae indolis filios TVOS mature litterarum imbuendos amore ſapienter ſtatuis; qui denique et eos, quos litteris operam dare noſti haud ignobilem, fouere, tueri ac amare impenſius numquam deſinis. Singulis his TVIS virtutibus, quas nullo me turpiſſimae praedicare publice poſſe adulationis vitio norunt ad vnum omnes, qui TE norunt, quum tandem et illa accedat, plane nec tacenda, vt integritatis fideique vere Germanae non tam prae TE ferre ſpeciem videri cupias, quam re uera exprimere priſcum vbique candorem ſatagas, tanto TE quidem digniorem cunctis hiſce praeſtas auitae maiorum gloriae,

Digitized by Google

riae, quae propria his olim erat, heredem, quanto propius illorum legere veſtigia ſoles, PATRVI maxime, immortalis vtique nominis viri ac perenni memoria digniſſimi, et de TE quondam, quod gratus per omnem aetatem tenebis, longe meritiſſimi, illuſtre intuens ſubinde exemplum, ſtrenueque conſectatus. Ita ne vero inſtituti me poeniteat, qui tenuem TIBI laborem dicare noſtrum decreui, immo vel ſola virtutum cauſa TVARVM conſecratum eſſe cupere debui? Acceſſit tandem conſilio, itidem quae vel vna mihi ad ineundum illud ſuffeciſſet, inſignis TVA, MAECENAS PROPENSISSIME, erga me voluntas, tot mihi abunde teſtata documentis, quam quae teſtatiſſima; tum pietas, qua TE colo, ſumma, hac re publice TIBI probare ſe poſſe, ac obſequia praeſtare, impenſiſſime omnino laetata. Ex quo enim reducem me in patriam voluit, publicoque doctorum Lycei numero noſtri adlectum, prouida benigniſſimi Numinis cura, indulgentiſſima patriae patrum voluntas, ſtatim mihi licuit eſſe tam beato, vt non in numerum modo illorum me reciperes, queis bene cupis, verum etiam acceſſum ad TE nullo non tempore patulum concederes, tum prolixiſſimum ſubinde, quem exoſculari me iugiter decet, fauorem pollicitus, denique et ita rationem mei, at quantuli! habens beneuolentiſſimam, vt anno abhinc ſacro immiſſum muneri, communi procerum, quod ad res ſacras, collegarum TVORVM ſuffragio,

coetui

coetui Chriſti regendo praeficiendum, nuperrime etiam noua muneris acceſſione exornandum decerneres.

Quae itaque dum ſingula mecum reputaui, non potui non, publicum TIBI, ILLVSTRIS DOMINE, deuotiſſimi cultus tum meo, tum beati FRATRIS mei nomine, ſtatuere monumentum, quod vt caſta iam mente puriſſimaque religione erigo, ita non tam aequis benignisque vt manibus accipias, deuotiſſime rogo, quam accepturum TE, pro generoſa illa TVA indole atque in me voluntate, prorſus confido, nec hac proin TIBI pietate mea diſpliciturus. Quod reliquum eſt, vt ex officii ratione fundendae mihi ad Deum, pro TVA TVORVMque ſalute preces perpetua ſunt, ſic, dum et mei cauſa obſtrictiſſimum ad easdem intenſiſſime continuandas me eſſe probe intelligo, hac pietatis parte ita me defuncturum ſpondeo, vt ex diuinae inexhauſto gratiae fonte ampliſſimae benedictionis genus omne in TE, DOMINE, coniugem, pignora, ſtirpem et quaecumque in deliciis eſſe poſſunt, deriuetur, ac per TE tandem, ad ſacram vſque ſenectam, quod confido, victurum, nominis BALDINGERIANI gloria, maiorum more TVORVM, ad ſummos ciuitatis noſtrae honores, quam feliciſſime euehatur. Atque his demum votis quum laetus, ad Dei nutum, immoriar, numquam tamen, niſi ad extremum vſque ſpiritum propenſiſſimae TVAE voluntatis ac beneficiorum iucundiſſime memor, vita decedam, quo vel ſic non ingratum me obiiſſe omnibus quam luculentiſſime conſtet, nec TE vmquam collocati in me fauoris aut beneficii poenitere debeat. Ita vale, VIR ILLVSTRIS,

Grande decus patriae, rerum columenque mearum!

Scribebam Vlmae Sueuorum V. Calend. April. ann. a Sot. nat. CIↃ IↃ CC XXXXIV.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ALBERTVS FRICKIVS, IOAN. FIL.

QVod numquam antehac fieri a me poſſe aut debere putabam, vt in lucem me obſtetricante prodiret, quam tibi nunc, lector candide, trado, beati fratris mei IOANNIS GEORGII FRICKII de Druidis commentatio, id dum opinione mea et exſpectatione citius omni euenit, non poſſum non in fronte ſtatim praefaminis huius non ſine intimo doloris ſenſu praemonere. Etenim ſi vel maxime nihil vmquam optabilius eſt, quam vt ipſimet parentes liberis ſuis proſpicere queant, ego certe nihil magis in votis habere debui, immo habui etiam, quam vt ipſe libelli huius auctor illum aliquando in lucem emittere publicam potuiſſet, laboris adeo ſui, ſatis quidem illius moleſti ac diuturni, non praemia magis quam finem exoptatum conſequuturus, longeque venuſtiori, quam qua nunc comparet, forma eumdem tibi omni procul dubio exhibiturus. Iam enimuero, quum iſtud ipſi felicitatis, Deo ita iubente, non obtigerit, quippe morte plane immatura ante hos quinque annos exſtincto, pietatis omnino meae erga optimum, meique diligentiſſimum, deque me etiam pluribus nominibus eximie promeritum FRATREM, eheu! quomdam meum, eſſe duxi, orphani huius ita curam gerere, quo vel tandem aliquando in lucem prodiret, atque ſic demortui parentis famam poſteris, vt ſpero, tu-

to commendaret aeque ac conſeruaret. Fidem itaque dum nunc publicam, quadriennio abhinc in nouis litterariis datam, a) rite exſoluo, equidem longe citius, ſi per me ſtetiſſet, eamdem liberaſſem, niſi in magna Germaniae noſtrae calamitate et litteris his noſtris patiendum fuiſſet, quas aegre iam et difficulter adhuc hodie typis exſcribi, quae ſors proh dolor! noſtra eſt, ſcias. Iam vero quum prodeat liber vel tandem, integrum mihi ſpero per veniam tuam, lector, erit, quid illo praeſtitum ſit, candide exponere, atque ſic vſibus eumdem tuis committere.

Tredecim fere effluxerunt anni, ex quo beatus FRATER, quum illud, quod nunc meum eſt, profeſſoris poeſeos munus in lyceo noſtro obiret, noſtram *de Druidis occidentalium populorum philoſophis commentationem* litteris conſignauit, atque ſeptem illam plagulis comprehenſam, publico, et acri certe, conflictui, diſputantium more a. d. VIII. Maii anni CIƆ IƆCC XXXI. in magno hominum illuſtrium ac eruditorum conſeſſu expoſuit, reſpondentem, quem vocamus, nactus virum hodie praecellentiſſimum ampliſſimumque, IOANNEM FRIDERICVM HARTLIEBIVM, A. M. gymnaſii noſtri ſub-rectorem ac profeſſorem egregium, amicum noſtrum atque collegam exoptatiſſimum. Non minimus erat, quem in conſcribenda diſſertatione adhibuerat, labor, neque vero nullo proin hominibus ab eruditis honore mactatus; immo potius paſſim laudatus cum publicis doctorum elogiis, tum priuatim per litteras, b) queis ſtudium eius vehementer probatum. Quamprimum enim per *noua* illa *litteraria*, c) Lipſiae quae ſalutari inſtituto, nec minori eruditorum commodo, inde a XXX. fere annis prodeunt, relatum, non ſine elogio, fuit, in lucem foetum hunc noſtri exiiſſe, mox lectus doctorum plurimis libellus ita qui-

a) *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen ann.* 1740. *pag.* 12.

b) v. gr. BRVCKERI, FEVERLINI, LOTTERI, I. P. MILLERI, SCHELHORNII, ZIMMERMANNI.

c) *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen ann.* 1731. *pag.* 626.

quidem arriſit perplacuitque, vt publicis illum quoque encomiis exornandum ſtatuerent, quod factum paſſim a viris celeberrimis, BRVCKERO, d) DOEDERLINO, e) STOLLIO f) aliisque g) videas; immo fuſiori paullo ſermone illius contenta orbi litterato proponere ſimulque commendare digna iudicarent. Quo quidem poſtremo defungi officio quum ſuarum eſſe partium arbitrarentur eruditiſſimi celeberrimae SOCIETATIS TEVTONICAE LIPSIENSIS ſodales, h) mox illi publice noſtrum, teſtandae inſignis erga illum voluntatis ſuae gratia, et, quod numquam antea cuiquam factum, ſponte ordini ſuo adlectum vnanimibus ſuffragiis, adſcriptumque voluerunt, i) idque per litteras, humanitatis omnis pleniſſimas, nihil tale vel e longinquo cogitanti ſignificarunt. Cunctis hiſce quum et amicorum blanda variorum exhortatio de augenda, et ſecundis curis perpolienda diſſertatione accederet, ille tandem voluntati huic obediendum ratus, ſerio de hac re ita cogitare coepit, vt ſenſim ſenſimque colligenda ſtatueret, quae ſpectare huc poterant, atque conquiſitis vndique impigro, nec inficiando euolutis labore libris, ad inſtitutum ſuum facientibus, tum

d) *Zuſäze zu den Fragen aus der philoſophiſchen Hiſtorie* paſſim, in primis *pag.* 96.

e) *Antiquitat. gentiliſmi Nordgauienſ. pag.* 55.

f) *Ganz neue Zuſäze zur Hiſtorie der philoſophiſchen Gelahrheit pag.* 137.

g) Vid. GOETTENS *gelehrtes Europa tom.* II. *pag.* 52. GVNDLINGS *vollſtändige hiſtor. litterar. tom.* I. *pag.* 837. NOLTENII *conſpect. theſauri antiquitatum Germ. pag.* 37.

h) Vid. *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache, Poeſie und Beredſamkeit, heraus gegeben von einigen Mitgliedern der Deutſchen Geſellſchafft in Leipzig vol.* I. *pag.* 341. et fuſius *vol.* II. *pag.* 69. *ſqq.*

i) Vid. *der Deutſchen Geſellſchafft in Leipzig geſammlete Reden und Gedichte, praefat. pag.* 9. it. exinde *die neue Zeitungen von gelehrten Sachen ann.* 1732. *pag.* 219.

excerptis, iudicio critico adhibito, apum inſtar, quae vſui eſſe poſſent, obſeruationibus, iuſtae tandem molis libellum pararet. His ita quum nauiter inſudaret vir optimus, inter ea coetui ſacro Pfuli (qui pagus eſt haud procul ab vrbe noſtra diſtans, vbi et olim beatus PARENS noſter, et ante hunc frater maior natu CONRADVS DANIEL, paſtorum munere functi) regendo praefectus, Deo rem dirigente, alia longe obire iuſſus, et muneri ſatis negotioſo immiſſus, has a ſe tanto adamatas opere litteras non quidem penitus ſeponere, at vero mittere ſaltim ad tempus coactus eſt: adeo tamen Druidarum ſuorum non dememinit, vt potius per otium ſubinde illos reſumeret, in perueſtigandis magis magisque eorumdem antiquitatibus inſigniter delitiatus. Et certe heic maxime loci, velut in ſeceſſu quodam litterario, aeſtatum praecipue tempore, quo otii plus ab habendorum multitudine ſermonum ſacrorum conceſſum apud nos eſt, (fere enim ſex annos ibi exegit) natae acceſſionum, quas tibi, lector, exhibemus, ſi non omnes, ſaltim plurimae; heic inſtituta ſummo, quo fieri poterat, ſtudio librorum non congeries tantum ſed et accurata lectio; heic frequens eruditorum aliorum, FEVERLINI in primis ſumme venerabilis, quem fautorem olim maximum coluerat, de his rebus facta per litteras compellatio; heic denique, niſi me fallunt omnia inchoata libelli per vltimam limam recognitio, non vero niſi ad prolegomenorum vſque §. XI. protenſa: vnde facile omnino iudicatu erit, non illum, quod a multis fieri ſolet, otioſum ac a litterarum fere ſtudiis relictum agri paſtorem egiſſe. Reuocatus deinceps anno CIↃ IↃCC XXXVII. in vrbem noſtram, atque diaconi ad SS. Trinit. aedem officio ſacro admotus, non quidem colligere, quantum temporis admodum anguſti ratio permiſit, deſiit, ad exornandum aliquando opuſculum ſuum, quae facere poſſe legendo varia aduerterat, at vero duplici de cauſa vacare huic labori plane non potuit, cum quod ſatis arduum, difficile moleſtumque eſſet proprii muneris onus,
tum

tum quod parenti ſeni, multisque laboribus ac vigiliis paene confecto, valdeque caecutienti, in auxilium ſaepiſſime veniendum pro pietate, qua ferebatur in illum, ſumma, non poſſet non ſtatuere, hoc ſibi felicitatis genus a ſapientiſſimo conceſſum Numine, quod ſua genitorem piiſſimum, et de ſe rebusque ſuisque eximie promeritum iuuare opera poſſet, vere ac impenſe laetatus. Itaque, dum otia Druidis concedenda ob concatenatam laborum, quibus premebatur vndique, ſeriem erant, ita tandem iſti conquieuerunt, vt vna cum auctore ſuo, fatorum quidem ſuorum neſcio, interitui propiores ſpe omni et exſpectatione citius euaderent, dum non multo poſt beati patris mei IOANNIS FRICKII, ah quam dulcis memoriae viri! obitum, et filius IOANNES GEORGIVS, recens tunc paſtor ad ſupra dictam aedem ſacram conſtitutus, vix elapſo ſex hebdomadum ſpatio, nimis eheu! citato curſu parentem inſequutus, ad caeleſtium animarum ſedem, morte quidem ſuis omnibus luctuoſiſſima, at placida tamen et beata emigrauit.

Licet enimuero triſti ſatis ac acerbiſſimo fato accidiſſe haec mihi numquam fere ſine lacrimis recorder; nolui tamen committere, vt laboris eruditi memoria, quem per plures, vt diximus, annos vir deſideratiſſimus ſub manibus habuerat, vna cum ipſo interiret; immo nec debui, neque potui, qui tot intenſiſſimi, et plus quam fraterni, amoris documenta expertus olim ab illo, dum viueret, omnium nunc aegerrime iſtis carere me ſentio, et candidiſſimo pectori plura multo debuiſſe me adhuc non tam profiteor officia lubens, quam quae exſoluere mihi licuiſſet, optarem; eo quidem magis, quo durius, ſi modo pie ita dicere liceat, et idem fatum accidiſſe viſum eſt, quod ſuperſtitem FRATRI optimo filiolum tenellum vnicum, olim, quod ſperabamus, paterna lecturum veſtigia, itidem poſt ſex ab eius morte hebdomades, votis noſtris rebusque humanis eripuit. Igitur mihi tandem incumbere cura viſa eſt, de libello hoc publicam in lucem edendo,

quam

quam etiam mox poſt triſtia PATRIS, FRATRISque fata, redux in patriam ex indulgentiſſima procerum voluntate factus, publicoque docendae poeſeos in gymnaſio noſtro muneri admotus, in me lubens meritoque recepi, famae aeque FRATRIS apud poſteros honeſte hac ratione conſulturus, atque pietatis (hanc etenim manibus eius omnino debeo) ſimul meae erga pie defunctum monumentum perenne collocaturus.

Accipis hinc iam, lector amice, libellum multo quam antea auctiorem, emendatiorem, atque vſibus tuis, vt ſpero, accommodatiorem, et ita quidem inſtructum, vt ipſe beatus auctor, ſi ſuperuixiſſet, inſtructurus illum erat; at vero non aeque locupletem, comtum exornatumque, atque ab illo exſpectare poteras. Vix opus eſſe arbitror, de augmentis vbique fere adiectis, eorumque numero, plura praefari, quum vel ipſa libelli, qua nunc comparet forma, collata cum priſtina illa, quae diſſertationis modum prae ſe ferebat, et plagularum numerus abunde docere poſſit, haud inficiandas eidem acceſſiones factas eſſe: neque vero ſpernendas etiam illas idcirco quis iudicabit, ſpero, quod poſthumae ſint, ſi quidem a beato viro vtique non priuati, ſed publici omnino vſus gratia adſcriptae exemplo manuali fuere, ſuo vtique tempore omnium oculis publice exponendae. Equidem ſi, quod res eſt, non diffitear, crederem, fortaſſis et ipſum FRATREM mutaturum hinc inde aliqua, nonnulla verboſius, alia breuius dicturum, cuncta, verbo dicam, ex ſuo formaturum ingenio fuiſſe; neque vero nunc etiam peccaſſe mihi videor, qui fideliter omnia, quae ipſius manu adſcripta deprehendi, expreſſi, eo quippe fine, adiecta, quo inde libellus auctior gratiorque lectoribus redderetur; vt adeo, ſi vel maxime ſupremam quis limam auctoris deſideret, nihil fere mihi, niſi quod cum ipſismet rerum circumſtantiis pugnet, poſcere videatur, quum vtique in ſcriptis illa poſthumis fruſtra quaeratur. Neque vero ego aut breuitati, vbi videri poſſet nimia, aliiſue, ſi forte ita vocare libuerit, lacunis mederi ita potui, vt optarent aliqui, quum, quod

initio praefaminis huius monui, numquam de edendo hoc opuſculo cogitaui, neque integrum mihi eſſe iudicaui, alterius laborem interpolare, immo, ſi vel hoc mihi ſumere ipſe voluiſſem, verendum mihi vbique fuiſſet, ne forte ego adſererem, quae a mente FRATRIS aliena fuerant, aut viciſſim negarem, quae ille adſtruenda iudicauerat. Igitur dum conſultius eſſe omnino iudicare debui, mea qualiacumque, licet forte non defuiſſent, plane non adiicere alieno labori, eumque nec immutare, nec meis corrumpere adſumentis; abieci etiam plane, quod prius mente volueram, conſilium de addendo ſingulari capite, Druidarum quod auctoritatem, priuilegia, regimen, ordines, ſcholas, ſacrorum adminiſtrationem, aliaque a beato FRATRE praetermiſſa, exponeret. Quamuis enim varia nec vbiuis obuia, hanc in rem a viro optimo excerpta e ſcriptoribus praeſtantiſſimis fuerint, placuit tamen eidem in ſchedis ſuis illa tribus tantum verbis identidem, in ſuos quippe vſus, adnotare, quibus poſt ea copioſius enarrandis ſi vel ſtudium dicare meum lubenter omnino voluiſſem, non raro tamen a via in iis exponendis aberrare fuiſſet quam facillimum. Igitur miſſis iis, quae me tuto exſequi poſſe non credebam, ea ſolum retinui, quae FRATER ipſe litteris conſignata reliquerat; atque ſic vniuerſam eius tractationem, praeter *prolegomena* ab ipſo maximam partem abſoluta et ſic nuncupata, in *tria capita* diſtinxi, quorum *primum* de Druidarum nominibus, origine, antiquitate, et ſedibus primis in Britannia, tum etiam Gallia, Germaniaque agit; *alterum* illorum philoſophiam exponit; *tertium* denique abolitionem ſiſtit: et illa quidem ita exhibeo, vt facile meo, ſi quem forte non plane inepte dare me potuiſſe aliquis credidiſſet, labore ſuperſedere poſſit.

Partem vero opellae huius alteram, quam conſpicies, lector beneuole, quod attinet, deliberato plane conſilio adiectam illam a me eſſe ſcias. Haec enim, quam procul dubio ampliorem multo adhuc dediſſet beatus FRATER, quae tibi nec iniu-

cunda, nec inutilia, vti ſpero, erunt, complectitur; maxime talia, quae in priori parte de Druidarum auctoritate, ſcholis praefectis cet. iure quodam velut tuo deſiderabis, ita vt quaſi poſtliminio hiſce tuis, ſi quae ſunt, deſideriis ſatisfiat. Nolo autem iam verboſus de hoc inſtituto eſſe, quum, quae ſcitu de illo ſunt neceſſaria, ex praefamine illo, quod infra catalogo ſcriptorum de Druidis praemiſſum a me eſt, ſatis intelliges. Scilicet ſunt iſta, quae adiunximus ex beati FRATRIS voluntate, maximam partem ex rarioribus, praeſertim in his terris noſtris, operibus eo fine depromta, vt non tam ob raritatem quam praeſtantiam recudenda duxerimus, hac quidem in re ita votis aliquorum velificaturi, vt de re Druidarum omni hocce non magnae molis libello abunde edoceri queant. Itaque, primus qui in arenam prodit, PETRVS LESCALOPERIVS theologiam illorum ſcite exponit, varia erudita, hinc inde admiſcens, quamuis etiam ſuperſtitionis plus quam anilis et credulae ſpecimina ſimul edens, cuius libelli apographum a celeberrimo FEVERLINO beatus FRATER accepit. Scholas, academias, doctrinamque in his tradi ſolitam BVLAEVS enarrat, qui, ſuppar iſti, proximo loco comparet, olim iam a me Ienae e ſumme reuer. WALCHII exemplo breuiter, nuper vero demum integre a viro clar. IOANNE FRICKIO, ciue ac amico noſtro optimo, ex eodem deſcriptus, et quod publice gratus nunc profiteor, ad me transmiſſus. Tertio loco quae ſequuntur ex AEG. BVCHERIO excerpta, humanitati debes viri praecellentiſſimi eruditiſſimique IOANNIS PETRI MILLERI, A. M. ampliſſ. ord. philoſoph. Lipſ. adſeſſoris, hodie vero apud nos Graecae ling. ac hiſtoriar. profeſſoris, gymnaſii conrectoris ac bibliothecarii ampliſſimi longeque meritiſſimi, fautoris mei ac collegae multo aeſtumatiſſimi, qui quum Dreſdae olim per aliquot annos in aedibus illuſtr. *Dn. Bar. de Fritſch* litterarum cauſa amplificandarum viueret, inde beato FRATRI non illa modo BVCHERII, ſed et alia beneuole communicauit, tum et eruditas de Druidis obſeruationes, ad illuſtrandam commentationem noſtram vna miſit, quarum aliquam ex epiſtola familiari depromtam

tam

tam infra bona cum eius venia ſubiecimus. Excipiunt tandem haec MERVLAE et HAMCONII fragmenta, quorum alterum in ſpecimen etymologici de Druidarum nomine conatus, alterum vt de veteribus Friſiae Druidarum praefectis mentio quoque iniiceretur, addidimus. De catalogo ſcriptorum, qui Druidarum antiquitates expoſuerunt, hiſce ſubiuncto, nihil hic monebo, quum ſingulari praefamine, quae dicenda de illo erant, copioſe ſatis expoſuiſſe mihi videar. Vnicum iam ſupereſt a me non omittendum. Conſtitutum erat adiicere libello huic diſſertationem beati FRATRIS academicam, *de eruditionis apud Romanos initiis*, Altorfii olim publice habitam, non quod illa ob materiae adfinitatem iungenda viſa eſſet, ſed quod hac ratione ad eius mentem ab interitu illam, quippe non indocte ſcriptam, vindicare voluerim; idque proin *pag. 6. prolegom.* iamiam pollicitus. Enimuero dum feſtinanda typorum opera propter nundinarum aduentum votis noſtris reſpondere non potuit, reſecanda illa iterum fuit; vnde et de addendo breui rerum, quem paraueram, indice, fruſtra nunc demum, ob dictam temporis anguſtiam, cogitare liceret. Tu veniam his dabis aeque vt paucis litterarum, qui obrepſere, erroribus, atque voluntatem ſaltim meam non improbabis. Fruere iam hoc noſtro labore quam feliciſſime, et ſi ille tibi non diſplicuerit, hoc mihi, perſuaſiſſimus eſto, non tam praemii loco honeſtiſſimi futurum, quam de conſeruata feliciter optimi FRATRIS mei perenni fama impenſe laetabor.

De meis tandem conatibus litterariis ſi adiicere aliqua liceat, iunctim aliquando beati PARENTIS *opuſcula* editurum me eſſe, tum etiam limatius conſcriptam *Traditorum hiſtoriam*, binis quae a me diſſertationibus academicis Lipſiae aliquot ante annos expoſita fuit, exhibiturum tibi, lector, ſignificarem, niſi experientia magiſtra edoctus ſatius fere iudicarem, nihil de his certi ſtatuere. Etſi enim non tam immodicus mei ſim amator, vt reculis meis multum iuuari poſſe ciuitatem eruditam exiſtimem, vel ob id tamen praeſtabit, de iis ſilere, quod non raro lauda-

tiſſi-

Digitized by Google

tiſſimis immori deſtinatis conſiliisue viros probos, fatorum et ipſi noſtrorum neſcii, videamus, tum et iisdem maleuolorum ſaepe inuidiam innocentiſſime omnino incurrere. Quod ſi tamen per Numinis ſanctiſſimi arbitrium exſequi illa aliquando licuerit, fuerintque, vt eſſe non poſtremi nominis viros noui, quibus non plane improbari labores meos tuto credam, id quidem incitamento mihi erit, vt, quanta fieri poterit diligentia, telam inceptam perſequi ſtudeam, quo laetum aliquando finem, dante Deo, attingat. Ita vale lector beneuole, ac mihi, ſi dignus tibi videbor, meisque ſtudiis faue. Scribebam Vlmae Sueuorum a. d. X. Cal. April. ann. a Sot. nat. CIƆ IƆ CC XXXXIV.

Errata paucula.

Pag. 6. lin. 28. verba : *infra quoque parte* II. *legenda :* deleantur. Pag. 41. lin. 22. STILLINFLEETO lege STILLINGFLEETO. Pag. 67. lin. 26. BVDDEVS lege BVDERVS. Pag. 156. lin. 1. LVCIANVS lege LVCANVS. Ibid. lin. 8. *cap. XII.* lege *cap. XXI.* Pag. 194. lin. 14. poſt I. A. FABRICII, inſere, *exemplo.* Pag. 196. lin. 23. *virum* lege *virorum.* Pag. 213. lin. 24. *in* ſemel deleatur.

DE

Digitized by Google

DE DRVIDIS
PARS I.

FRICKIANAM COMMENTATIONEM
EXHIBENS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

PROLEGOMENA.

§. I.

EGregie maiorum gloriae conſuluiſſe illi mihi ſemper viſi ſunt, qui rerum ab iis geſtarum memoriam aut renouare, aut ſub accuratius examen vocatas magno poſteritatis emolumento litteris committere tentarunt. 1)

1) Vt enim omnis hiſtoriarum antiquitatumque cognitio vtilis et periucunda eſſe ſolet, ſic maiori animus voluptate perfunditur, quando eorum, quae ad priſcos patriae ritus, religionem, et omnis generis doctrinam eruditionemque pertinent, imaginem quaſi viuam ob oculos ſibi poſitam cernit.

§. II.

Bene propterea et ſapienter illos egiſſe cenſemus, qui non tam peregrinarum ſtudio rerum, quam domeſticarum ſuauitate illecti Germaniae veteris notitiam, quacumque poſſent ratione, dare nobis allaborarunt. 2)

2) Iam ſuo quondam tempore CICERO *de fin. bonor. et malor. lib. 1. cap. 2.* praeclare inquit: *mihi quidem nulli ſatis eruditi videntur, quibus noſtra ignota ſunt.* Grauiſſime de hoc argumento diſſerentem producamus CHRIST. BROWERVM, quum initio *dedicationis antiquitatum Fuldenſium* ait: „qui intereſſe parum ad vſum prudentiae aut virtutis,„ exiſtimant, noſſe, quid maiores ante nos geſſerint, qua via ad vir- „ tutis metam, quibus gradibus ad gloriam adſcenderint, ii dignita- „ tis in commune tuendae rerumque gerundarum rationes velle ne „

„ ſcire, aut vitae cum laude degendae fructum contemnere et abii-„ cere mihi videntur.„ Et paullo poſt, *vrbes*, inquit, *exteraſque gentes luſtraſſe, peregrinas didiciſſe linguas, iſtud hodie vero pro nobili et magnifico ducitur. At praeteritae memoriae, ac retroactae aetatis per tramitem uirtutis relegere veſtigia, et priſcorum agnoſcere fidem, imitari candorem, probitatem, eccui magnopere cordi?* Adſtipulatur alius adhuc itidem longe doctiſſimus Ieſuita, PETRVS LESCALOPERIVS in *praefatione diſſertationis*, quae *theologia veterum Gallorum* inſcripta, partem *commentarii* eruditiſſimi *in Ciceron. de nat. Deor.* conſtituit, quando docet, cognoſcere res ſuas, non huius modo temporis, quae vulgi ante oculos verſantur, ſed etiam ad anteacti aciem intendere, propter longinquitatem paucorum quidem eſſe, ſed ſapientum. Conſimilia habet NICOL. SERARIVS, Ieſuita itidem magnis meritis inclitus, *rer. Mogunt. lib.* 1. *cap.* 1. *pag. m.* 3. vbi de vtilitate hiſtoriae Moguntinae diſſerit, affirmans eam efficere, ne in ſua ipſorum patria hoſpites Moguntini ſint. *Qui enim*, ita pergit, *eorum quae in illa geruntur inſcius ignaruſque viuit, nonne in aliis neſcio quibus oris peregrinari videtur, cui merito dici queat, tu peregrinus es in Hieruſalem, et non cognouiſti, quae facta ſunt in illa his diebus, hisce annis et ſaeculis?* Addatur elegantiſſima beati NIC. HIERON. GVNDLINGII *praefatio in Auentinum*, in qua eos peruerſo gradu incedere profitetur, *qui peregrina extollant ſupprimendo domeſtica, aliena collaudent negligendo propria, externa euehant, glorioſa ciuium noſtrorum facta reticendo*, cet.

§. III.

Non iam commemorabo, quantum in hoc negotio difficultatis occurrat, neque diſquiram ſollicitus, quam felici aut inuita ſaepe Minerua a nonnullis hoc factum ſit, quum obuia in vtramque partem exempla hiſtoriae patriae tam cupidos quam gnaros minime fugiant, ſed illud tantum addo, ab eo tempore, quo beatiſſima litterarum luce, ſacrae reformationis ope parta, fruitur orbis eruditus, exſtitiſſe viros, vti bene multos, ſic doctrina longe maximos, quibus antiquae gloriam gentis infinito fere ſcriptorum numero illuſtrare pariter et vindicare curae cordique fuit. 3)

3) Quum omnis antiquitatum diuiſio in *ſacras, ciuiles* et *litterarias* rite inſtituatur, neminem fugit, Germaniae antiquae res, triplici hoc

hoc modo ſpectatas, tanta doctiſſimorum hominum diligentia excuſſas eſſe, vt iuſtae magnitudinis formam liber, in quo omnia de rebus Germaniae edita ſcripta commemorari deberent, indueret. Quod aliquot abhinc annis ad exemplum GRAEVII atque GRONOVII *conſilium, de theſauro antiquitatum Germanicarum proxime edendo,* hiſtorici et antiquarii ſtudii cultoribus obtulit *Thomas Fritſchius*, bibliopola Lipſienſis magni quoad viueret nominis, illud dolendum ab ipſo poſtea neglectum iterum fuiſſe, atque, neſcio quas ob cauſas, penitus reiectum, quamquam ad exſoluendam promiſſorum fidem fruſtra illum cohortatus ſit vir ampliſſimus ac celeberrimus in academia Goettingenſi Profeſſor GOTTLIEB SAM. TREVER in *diſſ. epiſtolica ad Thomam Fritſchium, de theſauro antiquitatum Germanicarum augendo et promouendo* Helmſtad. 1721 4. Vide *annal. acad. Iuliae tom. I. pag.* 92. ſqq. Ab eo tempore, quo haec ſcripſeram, obſeruationes nonnullas, easque praeclaras omnino, circa delineationem theſauri antiquitatum Germanicarum cum TREVERO communicauit vir cl. RVDOLF. AVG. NOLTENIVS, aduocatus Wolfenbüttelenſis, in *conſpectu theſauri antiquitatum Germanicar. limitibus ſuis circumſcripti* Lipſ. 1735. 4. in qua diatribe critica luculenter enarrat, quos omittendos eliminandosque cenſeat libros, quos item admittendos et operi vaſto inferendos auctores arbitretur. Iungantur doctiſſimi duumuiri, qui pari eruditione ac induſtria prouinciam hanc ornandam ſuſceperunt, nempe CHRIST. GOTTL. BVDERVS, cuius *bibliotheca ſcriptorum Germ.* ad calcem *corporis hiſtor. Germ. Struuiani* impreſſa, inſignem notitiam ſcriptorum ad antiquitates Germ. ſpectantium pandit; itemque HENR. CHRISTIAN. SENCKENBERGIVS, cuius *prodromus iuris feudalis* Francof. 1735. 4. editus adnexam habet *bibliothecam antiquitatum Germanicarum*, multo cum fructu itidem euoluendam.

§. IV.

Quod aliis licuit, illud etiam nobis datum eſſe putamus, 4) vt in Germanorum veterum ſtudia horumque origines variasque et docendi et diſcendi rationes pro virili inquireremus. Non autem ciuiles, nec etiam ſacras, niſi ex parte, ſed *literarias Germanorum et* maxime quidem *philoſophicas antiquitates* conſimili opera perluſtrare animus eſt, qua olim de initiis eruditionis apud

Romanos academica ſcriptione nonnulla ſumus commentati. 5)

4) Erunt fortaſſe, qui poſt tam frequentes aliorum in hoc eruditionis genere labores nos Iliada poſt Homerum canere obiicient. Et ſane fatemur lubentes, eſſe multorum huius commatis μελετήματα tam egregie tantoque doctrinae ac πολυμαθείας apparatu conſcripta, vt facile palmam aliis praeripere poſſe merito cenſeantur. Quum tamen, quae de Druidis perperam ab aliis tradita ſunt, corrigere, quae omiſſa ſupplere, quae minus ordinate dicta, concinniori ordine proponere, quaeque a multis haud obſeruata deprehenduntur, in medium afferre liceat, neminem inter doctiores fore arbitror, qui ſpicilegium poſt meſſem forte haud contemnendum paranti mihi amplius ſuccenſeat. Agat interea noſtram defenſionem cauſſamque peroret vir eruditiſſimus ac integerrimus, dum viueret, GVIL. CAVEVS, cuius verba plane noſtra faciemus ex *praefatione ad chartophylac. eccleſiaſt.* quum *pag.* 5. et 6. inquit: „fateor, quod res eſt, plures in hoc genere ſcriptores exſtare, quorum lucubrationes a me quam longiſſime abſit, vt ex ſtudioſorum manibus excuti vellem. Habent aliorum libri ſuos vſus, habet forſan et meus ſuos. In eodem ſtadio decurrentibus non eadem omnibus currendi ratio, non eadem terenda ſemita, neque eadem curſum feliciter conficiendi adminicula, nec, qui in amoeno amploque deambulant horto, eosdem ſemper decerpunt floſculos. Latiſſime patet ſcriptorum - - campus, in quo plures absque aliorum damno ſeſe exercere poſſunt. Praefiſcine id dicam, non pauca in hoc libello reperiri, quae fruſtra alibi quaeras, multa compendio et tribus quaſi verbis dicta, quae alii per aliquot paginas diducere ſolent, cet.„

5) Prodiit diſſertatio, quum in academiis adhuc ante duo luſtra verſarer, *Altorfii* nimirum *anno* 1728. infra quoque *parte* II. legenda. Omnem propterea cauillandi libidinem euitabimus, ac ſi, peregrinae gentis arcana ruſpando domeſticarum rerum indagationem nauſeabundi omitteremus, probe quippe memores non ſupra ad §. II. dictorum tantum, ſed et eorum, quae IO. ALB FABRICIVS ὁ μακαρίτης, ille cuius immortale nomen ac merita in rempublicam litterariam nulla vmquã poſterorum ſaecula reticebunt, et nulla delebit obliuio, in prodigioſae lectionis opere, *bibliographia antiquaria cap.* II. §. 4. *pag. m.* 32. vbi *monemus*, ait, *ſtudioſos iuris praecipue atque hiſtoriarum, ne in aliarum gentium, Romanarum v. c. atque Graecarum, antiquitatibus ita ſe abdant, vt interim in patriis rebus ſint*

Digitized by Google

ſint hoſpites, quod aeque eſſet ridiculum, ac ſi quis in Germania viuens Graece loqui diſceret, Germanicam linguam ignoraret atque adſpernaretur. Praeter GVIL. CAMDENVM, qui in *praefat. ad Britanniam ſuam* eos merito ridet atque explodit, qui in vrbe ſua hoſpites, in patria peregrini et cognitione ſemper pueri eſſe velint, vnicum adhuc memorabimus, beatum D. IAC. CAROLVM SPENERVM, qui in *praefat. ad notitiam German. antiquae pag.*4. „ non improbamus, ait, politioris Graecae Romanaeue antiquitatis ſaltim moderatius ſtudium, ſed quam habet et ſemper habebit venerandae vetuſtatis ſtudium maximam commendationem, tam decere cenſemus ante omnia patriae commodis ſtudere, eiusque antiquitates, ſi vtiles, ſi ſcitu neceſſarias, peregrinis priſcis rebus anteponere. „

§. V.

Placuit auctoribus, quos antea dixi, pluribus hiſtoricorum more ſimplici narratione tradere, quaecumque de Germaniae antiquae philoſophis, eorum diſciplina, habitu, doctrina apud veteres inueniebant. 6) Nobis, quibus non ſanctius videtur ac reuerentius, de actis veterum credere quam ſcire, 7) praemiſſis, quae ex hiſtoria peti debent, valde neceſſariis, philoſophice de maiorum philoſophia ſcribere data opera lubet.

6) Iudicium, noſtro conforme, formari poterit ex iis, quae vener. IAC. FRID. REIMMANNVS in *idea ſyſtem. antiquitatis literar. pag. 6. ſeqq.* habet, quum PVFENDORFII, SCHARFII et SCHVRZFLEISCHII diſſertationes de Druidibus recenſet, quibus alios addere ſuperſedeo.

7) Ex TACITO *de mor. Germ. cap.* 34. CHR. AVG. HEVMANNVS, magnus aeui noſtri polyhiſtor, *actor. philoſophicor. tom. I. pag.* 670. 671. quem vide.

§. VI.

Ita ſatis puto different noſtri conatus ab aliorum laboribus, quando veri falſique diſcrimine probe obſeruato, expenſaque veterum ſcriptorum fide, ea tantum recipiemus, quae genuinam nobis priſcae maiorum philoſophiae faciem oſtendunt. 8)

8) Non igitur, quae potuerint eſſe, ſed quae fuerint reuera dogmata Germanorum philoſophantium, ſedulo indagabimus; minime

Digitized by Google

nime interim negantes, multa ſupereſſe, quae, varias ob cauſas, in ſequentibus commemorandas, ad veriſimilia tantum immo dubia et incerta referre liceat, vt ex poſtea dicendis patebit.

§. VII.

Expendendam antiquorum fidem in rebus facti, eorumque effata ad veritatis trutinam critico exigenda eſſe iudicio, 9) ille non dubitabit, qui quantum momenti in ipſa rerum pertractatione habeant, pragmatica hiſtoriarum lectione didicit. Nos igitur valde iuuabit referre curatius, quid dicere de vno alteroue habeamus e veteribus, 10) quorum teſtimonia ſubſequuturo propoſiti thematis ordine praecipuas in partes vocabimus.

9) Hoc poſt infinitos alios feliciſſime praeſtitit vir eruditiſſimus IO. GEORG. KEYSLERVS, cuius praeſtantiſſimum ac recondita doctrina plenum opus *antiquitatum ſeptentrionalium et Celticarum* videatur, vt variis in locis, ita cum primis *pag.* 132. 133. Verba ſequentia lectores probe velim notent: *Romani et Graeci in primis morum ac ſcientiarum elogio ſuperbientes, inuidia inſuper alienae gloriae flagrantes, ridicula etiam nonnumquam de barbaris (vti appellabantur) prodere, quam eos in ſocietatem vllius laudis admittere malebant.* Qualem de antiquiſſimis Germaniae rebus Graeci Latinique ſcriptores notitiam habuerint, quibus inſuper modis gradibusque ea ſenſim creuerit, oſtendit HENR. MEIBOMIVS, iunior, in *progr. de X. hiſtoriae Germanicae periodis*, quod 1697. vulgauit.

10) Quum vetuſtiſſimam Germanicarum rerum notitiam vſque ad Iul. Caeſarem vel fabulis inuolutam vel obſcuram admodum et tenebris fere immerſam eſſe nemo ſapiens negare queat, facile diuinatu eſt, eorum opera in indagandis rerum patriarum primordiis nos valde iuuari, qui temporibus retro actis aetate propinqui quaedam in litteras de ſtatu illorum retulerunt, etſi non in omnibus fidem perfectam mereantur. *Von ſo entfernten Sachen*, verba ſunt IO. IAC. MASCOVII in *praef. ad hiſt. Germ. ante tempora Caroling. pag.* 7. *kan keine weitere Gewähr gefordert werden, als welche ſich durch alte Hiſtoricos beſtellen läſſt, die, ſo lang ihr Zeugnus nicht der Partheyligkeit oder Nachläſſigkeit halber verdächtig iſt, von den Gelehrten ohne Widerſpruch angenommen werden.* Igitur deficientibus domeſticis litterarum monumentis

mentis (de quibus poſtea) per externos Graeciae Latiique veteris ciues ac ſcriptores penuriam noſtram ſupplere neceſſum habebimus. At horum teſtimonia, iudicium, aequitas, fides, experientia non tantae ſemper auctoritatis vſusque tanti eſſe deprehenduntur, vt nihil, quod in iis deſideremus, ſuperſit, quin potius ſupina in obſeruando negligentia, vehemens ac minus laudabile partium gloriaeque propriae gentis ſtudium, exigua Germaniae veteris notitia, obſcura et ambigua ſcribendi ratio, ignorantia linguae maiorum vernaculae aliaque iure optimo ipſis exprobrantur. Non poſſum non, quin ex illuſtriſſimi viri, Domini HENR. DE BÜNAV *Hiſt. Germ.* eiusque ad *vol.* 1. *praefationis pag.* 16. 17. locum ſequentem excerpam: Zuförderſt mangelt es gänzlich an einheimiſchen Geſchicht-„ Schreibern. Was man von dieſen Zeiten weiſs, muſs man aus„ frembden und noch darzu feindlichen Scribenten zuſammen tra-„ gen. Dieſe haben ſelbſt das innere von Teuſchland nicht geken „ net, ſie haben ſich auch nur um dasjenige bekümmert, was ihr ei-„ gen Volck angegangen, und was dieſes mit den Teutſchen zu„ thun gehabt; daher ſie unſere Geſchichte nur als Neben-Dinge, „ darum ſie ſich nicht hauptſächlich bekümmern dürffen, angeſehen, „ und endlich blicket eine groſſe, iedoch einem Geſchicht-Schrei-„ ber unanſtändige Liebe des Vaterlandes und Haſs der Feinde her-„ für. Adde *vol.* 1. *pag.* 49. *col. a.* vbi: Die Römiſche Scribenten, „ aus denen man alles dasienige, was wir von den erſten Teutſchen „ wiſſen, nehmen muſs, von dem genauen und innerlichen Zuſtan-„ de der feindlichen Lande ſchlechte Kundſchafft gehabt, und ins-„ gemein entweder dunkel reden, oder nur einen allgemeinen Be-„ griff geben, öffters auch einander widerſprechen, mithin iſt das „ meiſte, was wir von dem alten Teutſchland wiſſen, mit vielen „ zweifelhafften Dingen vermiſchet, und beruhet offt auf bloſſen „ Muthmaſſungen.„ Addatur locus *pag.* 66. *col. b.* vbi - - - „Sie„ (nempe Graeci et Latini Scriptores rerum Germanicarum) haben „ das innere von Teutſchland nebſt der Sprache nicht verſtanden, „ theils das Unglük gehabt, daſs ihre Schrifften wieder verlohren„ gegangen, theils aber auch mehr für den Ruhm vnd die Ehre ih-„ rer Republic, als für die Wahrheit in der Erzehlung geſorget. „ Und überhaupt haben die Römer Teutſchland gar ſpat kennen ler-„ nen. Iunge, ſi placet, IO. CHR. CLEFFELIVM, qui in praefatione

Digitized by Google

ad *antiquitates Germanor. potiſſimum ſeptentrionalium* ferme circa medium paria habet, inquiens: „Exteri ſcriptores non ſemper vera ſcribere „aut voluerunt aut potuerunt, quod multis exemplis demonſtrari „poſſet, nec ſcripta eorum ſufficiunt cet.

§. VIII.

Ante vero, quam de fide veterum hiſtorica in rebus, ad Germaniae antiquae ſtatum melius perdiſcendum ſpectantibus, dicere incipiamus, non pigebit probe notaſſe, nullum vel leuiſſimum litterarum ſupereſſe monumentum, 11) a maioribus noſtris in gratiam poſteritatis conditum, ex quo vel de doctrina eorum ſcribendique ratione iudicare, vel magnitudinem rerum ab iis geſtarum penitius noſſe, vel etiam, quae ab exteris ſcriptoribus aut perperam aut ſubleſta fide tradita ſunt, emendare pariter ac ſupplere nobis integrum foret.

11) Quid cauſae ſit, quo minus antiqui Germani rerum ſuarum memoriam poſteritati reliquerint, ceteriſque populis in hoc negotio tardiores fuerint, diſquirere opere pretium duxit vir numquam nobis ſine laude dicendus, IVST. CHRISTOPH. DITHMARVS in eleganti diſſ. *de veterum ſcriptorum Germanicorum defectu*, quae in *ſylloge diſſ.* eius iunctim Lipſ. 1737. 4. editarum, numero *decima quinta* eſt, quam *pag.* 323. ſqq. vide. Communis interim eſt eruditorum querela de Germanorum veterum in ſcribendo vel negligentia vel inſcitia. Vt de poſtremo incipiamus, nemo facile neſcit, multum ab interpretibus aliiſque viris doctis, an plane maiores noſtri litteras ignorauerint, diſputatum eſſe ad TACITI *German. cap.* XIX. vbi ait: *litterarum ſecreta viri pariter ac feminae ignorant.* Sunt, qui TACITVM his verbis omnem litterarum et vſum et notitiam Germanis abiudicaſſe putant; enumerauit eos ſolita diligentia vir πολυμαθέστατος ac laude noſtra maior D. CHRISTOPH. AVGVST. HEVMANNVS in *Poeciles tom.* I. *pag.* 636. His autem quo minus adſentiamur, prohibent nos, praeter alias rationes, illa TACITI loca, in quibus clariſſimi Germanorum principes Marobauduus et Adgandeſtrius epiſtolas ſcripſiſſe memorantur, *annal. lib.* II. *cap.* 63. *et* 88. Altera ſententia eorum, qui *litterarum ſecreta* per litteraturam magicam aut mythologicam interpretantur, quorum nomina itidem HEVMANNVS

NVS *l. c. pag.* 637. exhibet, nobis aeque non placet, ac illa celeb. IVSTI CHRISTOPH. DITHMARI, qui in exaſciatiſſimae doctrinae *commentario ad Taciti Germ. pag.* 113. coniecturam, nullo tibicine fultam, in medium adferens, per *litterarum ſecreta* aliam maxime arcanam et ſecretam amandi artem intellexiſſe Tacitum ſibi perſuadet, nutus nempe atque digitorum, vino madidorum ſuper menſam ductus, quibus aliiſque notis ac ſignis libidinoſi homines apud Romanos ſibi inuicem amores laſciuos in ſpectaculis atque conuiuiis ſignificare ſolebant. Enimuero iſta nobis ab inurbano maiorum gentilium et inexculto litteris ingenio nimium quantum abhorrere videntur. Adde tamen, quae vir doctiſſimus in *ſylloge diſſ. acad. pag.* 327. in hunc TACITI locum commentatur. Ad eorum itaque partes accedere nos profitemur, qui ex contextus ac ſcopi, quo TACITVS libellum de Germania ſcripſiſſe non immerito putatur, aliiſque rationibus ducti, per *litterarum ſecreta* amatorias litteras, artemque amandi in iis traditam hiſtoricum Romanum ſignificaſſe arbitrantur. Eſt praeter multos alios, quos ipſe recenſuit, in hac haereſi HEVMANNVS locum Taciti *pag.* 640. ita παραφράζων: *noli putare Germanos Romanorum more epiſtolis vti amoris internunciis. Immo vero tantum abeſt, vt hoc modo amorem inter ſe concilient et alant, vt non feminae ſolum, quae quidem et Romae pertenuem litteris operam dant, ſed etiam viri litteras exarare amatorias, clandeſtinoque vti epiſtolarum commercio, prorſus neſciant.* Haec ille πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, cuius tamen conſequentiam e loco Taciti elicitam, qua non ſolum amatoriarum, ſed *omnium omnino litterarum, vſu Germanos caruiſſe* autumat, vel ideo non probo, quia quotidie fieri videmus, vt ſcribendi artem probe quis, etiam ex hominibus plebeiis, calleat, licet idem amatorias ſcribere litteras nequaquam ex ingenio, minus vtpote liberaliori, valeat. Egregie veterum Germanorum cauſam defendit, maximoque verborum ac eruditionis apparatu perorauit illuſtris ac eloquentiſſimus vir IO. GVIL. BERGERVS in *diſſ.* qua *Germanum haud illitteratum* ſiſtit, cuius §. VII. et ſqq. quaeſo videantur. Adde cl. HENR. HEISENIVM *orat. de eloquentia veter. Germanor. pag.* 48. ſqq.

Ceterum quum, (obſeruante beato IAC. CAROL. SPENERO *notit. Germ. antiq. pag.* 12. not. f.) facta praeclara cani, quam ſcribi inter maiores praeſtiterit, licet ſcripta eſſe mallet vtique poſteritas, inde per iſtam illorum incuriam eueniſſe videmus, vt nihil monumen-

torum hodienum vllibi exſtet, quod ab aliquo ex ordine antiquo vel Druidarum vel Bardorum pridem in litteras relatum, magno poſteritatis emolumento ad noſtra vſque tempora ſeruatum ſit. Ea enim omittenda cenſeo, quae de HVNIBALDI, Franci, opere hiſtorico, quod e fragmentis hiſtoricis veterum Druidarum collegiſſe dicitur TRITHEMIO, inter doctiores commemorantur, fraudem omnino ac impoſturam ſapere, obſeruatum eſt illuſtriſſ. Domino HENR. DE BVNAV *hiſt. Germ. tom.* I. *pag.* 356. itemque IO. ALB. FABRICIO in *bibliotb. Lat. med. ac infimae aetat. tom.* III. *lib.* 8. *pag.* 903. Num carminibus antiquis fortia heroum facta non cecinerint ſolum, ſed ea quoque ſcripto comprehenſa aliis ad rerum notabilium memoriam fortius retinendam reliquerint, contra CAESAREM a multis aſſeritur, quos inter et beatus IOAN. SCHILTERVS, cuius notatu digna verba e *praefatione ad chronic. Koenigshouii* excerpere libet. Ita vero ille §. 2. „Die Urſach deſſen (nempe defectus monumentorum ingenii Germ.) „will insgemein der Unerfahrenheit dieſer Nation „im ſchreiben beygemeſſen und geglaubt werden, ob hätten die „alte Teutſche keine Buchſtaben noch Schrifften gehabt. Gleich„wie aber anderswo dargethan worden, daſs es den hochverſtän„digen alten Teutſchen an Buchſtaben und Schrifften nicht erman„gelt, auch einem von ſolchem Alterthum her blühenden Reiche „nicht ermangeln können, alſo iſt auch kein Zweifel, daſs zum „wenigſten bey dem geiſtlichen Stande auch in dem alten Heyden„thum die vornehmſte Begebnuſſen und Veränderungen aufgezeich„net, und auf die Nachwelt vererbet worden. Et §. 3. Dieſes iſt „zwar nicht zu verneinen, daſs Teutſchland keine ſolche Hiſto„rien-Schreiber gehabt, auf Art des Herodoti, Thucydidis und an„derer bey den Griechen, oder des Liuii und Taciti bey den Rö„mern. Nichts deſto minder aber hat bey den alten Celtis, Cim„bris und Teutſchen eben der auch bey den Griechen, Römern und „andern ältern Völckern damals übliche Gebrauch vorgedrungen, „daſs ihrer Könige und Helden Leben und Thaten, ihre Kriege „und Veränderungen nicht in proſa, ſondern in Verſe und Lieder „verfaſſet worden, wie ſolches I. Caeſar, Tacitus, Iornandes und „andere, auch die Nordiſchen ſogenannten Eddae bezeugen. Wor„aus, und anderwärts auch dieſes erheller, daſs dieſe Edden und Ge„ſänge nicht allein dem Gedächtnus überlaſſen, - - ſondern ſie ſind „auch

auch allerdings der Schrifft einuerleibet worden, wie ſolches cet.,, Quidquid horum ſit, quae aliis definienda relinquimus, hoc interim verum eſt, defectum ſcriptorum veteris Germaniae hiſtoricorum, ſiue is ex ruditate ingenii maiorum, ſiue negligentia eorum deriuetur, magno nobis impedimento in veteris aeui rerum indagatione hactenus fuiſſe, multumque moleſtiarum creaſſe viris doctiſſimis, qui ſtatum Germaniae priſcum ex veritate deſcribere ſunt adniſi. Quum enim e ſcriptoribus extraneis, quibus nec animus nec facultas, vera ſcribendi, ſemper fuit, omnis Germaniae antiquae notitia haurienda ſit, nemo non videt, quam facile decipiantur illi, qui promiſcuam fidem exteris, tam parum noſtrarum antiquitatum gnaris, in omnibus habendam temere putant. Eapropter ABRAHAM. FRENCELIVS in erudita *de idolis Slauorum diſſertatione, tom.* II. *ſcriptor. rerum Luſaticar.* C. G. HOFMANNI *pag.* 64. (a) *at vero,* inquit, *negligentiam* (veterum Germanorum) *in adnotando, ſeu potius in cuſtodiendis illis, quae ſcripſerant, non poſſum non dolere. Siue id factum ſit, quod maiores gloriam in factis magis quam verbis quaeſierint, ſiue quod hanc ſcribendi rationem molliorem eſſe, quam vt virum deceret, crediderint fortitudinis et bellorum amatores, nunc non diſputo. Fecit vero haec incuria natales eorum adeo obſcuras, vt multi de illis ſolliciti fuerint, pauci in opere ſatis felices.* Sic et IOANNES PICARDVS *de priſca Celtopaedia lib.* 1. *pag.* 4. de Gallis ſuis refert non ſine indignatione, *quod nec litteris quidem vllis proaui noſtri verbum vmquam nobis vllum fecerint, quod ſi tamen fecerint, nihil omnino apud nos temporum fortaſſe vitio exſtet;* atque quum mira veteres de Graecis, Latinis, Aegyptiis cet. narrent, *ſolos omitti Gallos* conqueritur, non quod praeclariſſima quaeque non ſemper praeſtiterint, ſed quia in tantis rebus deſcribendis nimium ſegnes fuerint maiores. *Sed nec illos propterea*, ita pergit *pag.* 8. 9. *qui ante nos vixerunt, probe excuſandos cenſeo. Debuerunt enim, ſi non pro rei dignitate, quod certe fieri non potuiſſet,* (en quaeſo vaniloquentiam Gallorum ineptiſſimi) *ſaltim pro ingenii viriumque captu ea attigiſſe, quae ad conſeruandam aliquam nominis Gallici memoriam faciebant.* Quin eo uſque tandem progreditur, vt *pag.* 10. affirmet, *ſe non poſſe non eorum, qui nos praeceſſerunt, incuriae ſubiraſci, et tacite diris eos deuouere, quod ſuapte negligentia Gallicam gentem tot litteris, tot philoſophis, tot academiis, totque aliis rebus eximiis illuſtrandam, et hiſtoriarum conſcriptione clarius aliquanto poſteritati inculcandam, non procurarint diligentius. Inde effectum eſt, vt multo audacius mentiri auſi ſint*

Digitized by Google

tam Graeci quam Latini in his cet. Claudat agmen P. DROIT DE GAILLARD, qui dans ſa *methode de lire l'hiſtoire*, a Paris 1579. 8. *pag.* 559. ſcribit: „ ainſi ces Druydes, preſtres de leur loy, peuvent eſtre vi„ tuperez, d'avoir eſté ſi avaricieux, de rediger aucune choſe par „ eſcrit, que de toutes les grandes entrepriſes de la Gentilleſſe Gau„ loiſe nous n'en avons preſque cognoiſſance, que par emprunt. Non temere, cetera, inficias aliquis iuerit, potuiſſe maiores, in rebus geſtis olim clariſſimos, perque ſuam fortitudinem aeternam nominis gloriam conſequutos, eruditionis ac doctrinae laude maximos euadere, ſi tantum ad bene diſcendum ac ſcribendum aſſiduitatis, quantum ad pugnandum animi, adhibuiſſent. Habeant ſua Romani lumina, laudent principes ſuos ac imperatores, tamquam hiſtoricos, philoſophos, artisque dicendi peritiſſimos, non nos mehercle poenitere deberet foetuum ingenii aut commentariorum hiſtoricorum, ab Arminiis, Maroboduis, Diuitiacis cet. profectorum, ſi tantos heroes aut litteris mandare aliqua, aut ad nos peruenire quidquam eorum fata ſiuiſſent. *N'en doutons pas,* inquit vir quidam clariſſimus in *bibliotb. Italique tom.* XIII. *pag.* 147. *ſi Ariouiſte, Marboduus, Godwalda, Arminius, Ciuilis, Attila meme, avoient laiſſé des memoires comme Ceſar, ou avoient eu des hiſtoriens de leur nations, nous jugerions bien differement de ces chefs des Allemands, de leurs peuples, et des Romains. Les Barbares auroient peut etre la meilleure partie de l'admiration, que nous donnons toute a leurs ennemis.* Eo tamen iniquitatis in iudicio aduerſus Romanos progredi nollem, vt aſſererem, eos ex odio plus quam barbarico tyrannicaque inuidia omne, quidquid in veteri Germania ſcriptorum librorumue hiſtoricorum in manus eorum incidit, (ſi modo eos aliquid vidiſſe legiſſeue cenſeamus) aboleuiſſe plane, ſuſtuliſſe atque iniquiſſime ſuppreſſiſſe. Fecit tamen hoc ſcriptor Gallus ſaeculi XVI, PIERRE DE SAINT IVLIEN in praefatione libri rarioris, et curioſa ſatis eruditione hiſtorica referti, cuius index: *melanges hiſtoriques et recueils de diverſes matieres*, a Lyon 1589. 8. Dabo illius ex praefatione verba: „ les commentaires ou memoires, et les anna„ les et diaires des Druydes, et autres Chroniqueurs Gaulois ont „ d'ailleurs eté ſi furieuſement opprimez, ſupprimez et aneantiſez par „ l'envie, que les Romains ont porté a toutes choſes plus illuſtres „ et plus excellentes que les leurs: que (pour nous faire perdre tou„ te la ſoubvenance des valeurs de nos anceſtres, et nous abaiſſer

„ le

le coeur, a fin de nous rendre plus miſerables, et eſclaves de leur „ tyrannie) ils n'ont pretermis d'exercer leur rage ſur les papiers, „ livres, titres, marques d'honneur et ſignals des grandeurs. Et „ quant aux rudeſſes practiquées ſur les deplorables Gaulois, elles „ ſont lamentablement exprimées par St. Salvien Eveque de Mar- „ ſeille cet. „ Adſtipulari huic ſententiae videtur vir cl. IVST. CHR. DITHMARVS in diſſ. *de veterum ſcriptorum Germ. defectu* §. 2. quae in *ſylloge diſſ. acad.* iunctim editarum XV. eſt, quum pag. 325. ita diſſerit: *vnde factum, vt plurima de maioribus noſtris ignorentur, multa quoque ipſorum praeclare geſta ſilentio fuerint praetermiſſa, ſuppreſſis ſcriptoribus, qui virtutem Germanorum ingenue praedicauerant, vt* PLINII *libris viginti de bellis Germanorum accidiſſe ſuſpicor.* Adde ſis, quae pag. 404. idem tradit: *quorum meminit eius ex fratre nepos* PLINIVS, *iunior dictus, lib.* III. *epiſt.* 5. Illis denique, quos ſupra vidimus de pertinaci maiorum in ſcribendo negligentia pigritiaque conqueſtos, addi poſſunt verba PETRI RAMI in libro *de morib. Gallor. pag.* 82. & STEPHANI PASQVIERII dans ſes *recherches de la France liv.* 1. *chap.* 1. quae tamen, ne longiores ſimus, legi poſſunt in nobiliſſimo opere, quod Monachi Benedictini e congregatione S. Mauri nuper abs ſe euulgatum, inſcripſerunt *hiſtoire literaire de la France*, a Paris 1733. cuius vide *tomi* I. *pag.* 2. *et* 40.

§. IX.

Solis itaque ſcriptoribus Romanis 12) debemus, quidquid vetuſtiorum rerum noſtrarum notitiae ad nos peruenit. Eſt vero inter eos, quorum opera in ſequentibus eo lubentius vtemur, quo plus fidei, diligentiae, iudiciique apud ipſos inuenimus, eſt, inquam, primus C. IVL. CAESAR, qui in commentariis ſuis, 13) egregio certe ac fide digniſſimo ingenii monumento, 14) praeclariſſima multa de ſtatu maiorum noſtrorum, magno poſteritatis emolumento, retulit.

12) Romanorum ſcriptorum, inquit I. C. SPENERVS in *notit. Germ. antiq. pag.* 11. qui Germanicas attigerint res, ingens raritas eſt. Eos deinde, qui ſcripſerunt, admodum decepit et impediit intricata et obſcura Germaniae rerum Romae notitia, et ſollemnis incuria,

Digitized by Google

curia, abſonaque eorum negligentia, quae populos reſpicerent barbaros. His addimus, pauca illa, quae a Graecis et Romanis ſcriptoribus de rebus Germanorum antiquis referuntur, ab HERM. CONRINGIO peculiari libro eſſe congeſta, nempe in *collectione monumentorum veterum de ſtatu Germaniae*, Helmſt. 1678. 4. atque G. G. LEIBNITIVM in principio *tomi* I. *ſcriptor. Brunſvicenſ.* excerpta ex illis dediſſe.

13) Eos innuo, quos *de bello Gallico* conſcriptos reliquit. Equidem, ſi temerario illius anonymi iudicio tribuendum aliquid eſſet, qui apud IS. VOSSIVM in *reſponſionib. primis ad obiecta Rich. Simonis pag.* 356. falſi conuincere ſtudet, quaecumque in libris de bello Gallico continentur, et copioſe inſuper oſtendere, ne vidiſſe quidem Caeſarem Galliam, et numquam Alpes transiiſſe, omnis certe de maximi huius imperatoris ac hiſtorici fide diſceptatio fruſtranea pariter et abſurda foret. At vero vix poterat, bene iudicante D. G. MORHOFIO *polyhiſt. litterar. tom.* I. *pag. mea* 853. edit. Lubec. 1714. quidquam magis ab omni ratione bonisque ſenſibus alienum excogitari, ſi modo ita cenſuerit ſerio quiſpiam, et non ioco VOSSIVS ſuis lectoribus imponat. Ambulat inepta iſta opinio pari paſſu cum illa IO. HARDVINI, quam ſcepticam de veterum ſcriptis male ſentiendi libidinem potius dixeris, de qua videri poſſunt GISBERTI CVPERI epiſtolae, cenſuram ſyſtematis Harduiniani continentes, quae exſtant in anonymi *recueil de litterature, de philoſophie et d'hiſtoire* pag. 47. & 125. Certe abſurdam ex merito dixit ὁ μακαρίτης IO. ALB. FABRICIVS in *biblioth. lat. tom.* I. *pag.* 161. conf. NIC. HIERON. GVNDLINGII *collegium hiſt. litterar. pag.* 30. *ſq.* Solide iudicauit PETR. DAN. HVETIVS, quando *demonſtrat. euangelic. axiomate* I. ait: „Caeſaris „commentarios genuinos eſſe non aliunde ſcio, quam ex proxime „conſequentium aetatum, aliarumque iis ſuccedentium conſtanti „teſtimonio; nam et genuinos agnoſcunt Cicero et Hirtius, ac deinde Strabo, tum Suetonius et Plutarchus, et Grammatici poſtmo„dum veteres, ac reliqui ſubinde ad hanc vſque aetatem ſcriptores. Ex hoc etiam patet, quid tribuendum ſit LVD. CARRIONIS et FRANC. FLORIDI SABINI ſententiis, quorum hic *ſubſeciuar. lect. lib.* I. *cap.* 3. ille vero apud IVST. LIPSIVM *lib.* II. *epiſtolicar. quaeſtionum, epiſt.* II. vtroſque de bello Gallico & ciuili commentarios non Caeſaris, ſed alterius eſſe, temere contendunt, ideo confutati a G. I.

VOSSIO

VOSSIO *de hiſtoric. lat. lib. I. cap.* 13. aliiſque, quos appellat MART. HANCKIVS *de Rom. rerum ſcriptoribus part.* I. *cap.* 4. *pag.* 33. Quod autem fidem CAESARIS hiſtoricam attinet, iam olim obtrectauit illam omnis virtutis calumniator, quique nullius magni viri famae parcere ſolebat POLLIO ASINIVS apud SVETONIVM in *Iulio cap.* LVI. parum diligenter parumque integra veritate compoſitos eius commentarios putauit: quum CAESAR pleraque, et quae per alios erant geſta, temere crediderit; et quae per ſe, vel conſulto, vel etiam memoria lapſus perperam ediderit, exiſtimatque reſcripturum et correcturum fuiſſe. Non tamen eſt, quod huic iudicio multum tribuamus, vti dudum oſtenderunt duumuiri clariſſimi, qui iſtud expenderunt, MORHOFIVS nempe, in eleganti libro *de Patauinitate Liuiana cap.* 4 *pag.* 45. et IO. NIC. FVNCCIVS in *parte altera* tractatus eruditiſſimi *de virili aetate Lat. linguae cap.* 4. *§.* 22. *pag.* 207. *ſqq.* Tametſi enim largiamur, in multis, quae melius reſcire poterat, et in commentarios ſuos diligentius maiorique cura referre, Caeſarem lapſum eſſe, hoc tamen non obſtat, quominus cum IS. CASAVBONO in *praefat. ad Polybium* Caeſaris ὑπομνημονεύματα, vti STRABO appellat, diuinum opus et maximarum atque vtiliſſimarum rerum doctrina foetum dicamus. Certe iis, quae obieciſſe Caeſari POLLIONEM antea vidimus, ex merito opponimus verba IO. BODINI, qui in *method. hiſtor. cap.* 4. *pag. m.* 50. *ſq.* de illo ſic iudicat: *quae de bellis a ſe geſtis conſcripſit, ex magna parte vera iudicantur, praeſertim quum - - - ſe viuo ſua ſcripta in vulgus manare pateretur, et innumerabiles hoſtes haberet, qui ſe mendacii coarguere potuiſſent.* Adde huic aliud HENR. GLAREANI iudicium, qui in principio *annotat. in Caeſ. pag.* 99. edit. Iungerman. Caeſar, inquit, ſcripſit hos libros in caſtris, et ſucciſiuis quidem „ horis, quibus hercle vel ob hoc maior fides debetur, quod rebus „ geſtis ipſe, qui ſcripſit, interfuit. - - - Ceterum res ſuas vere, „ laudauit, vt hoſtes quoque eius, inter quos erat et Cicero, veriſ „ ſimos hos commentarios dicerent, auctoribus et ipſo Cicerone et „ Suetonio. Cautior etiam in hoc, quod hoſtes laudauerit, quo „ maior ipſius gloria eſſet, qui eos vicerit. „ Conſentire quoque cum hoc iudicio video PAVLLVM BENIVM, cuius cogitata excerpſit HANCKIVS *lib. cit. part.* II. *cap.* 4. *pag.* 212. Rectius igitur de Caeſaris opera, in commentar. memoriae Gallorum Germanorumque veterum praeſtita, ſentire tenebuntur ii, qui cogitabunt, eumdem maximum

Digitized by Google

ximum imperatorem res Gallicas in adminiſtranda prouincia belloque gerendo non auditione tantum, ſed oculis accepiſſe, longoque vſu tractaſſe, ſiquidem per decem fere annos bellum in Gallia quum geſſerit, facile Gallorum mores ac ritus exactius perdidiciſſe potuit. Eapropter etiam commendatur valde a doctiſſimo viro, PETRO LESCALOPERIO, qui in *diſſ. de theologia veter. Gallor. cap.* 2. Caeſarem prae ceteris vult, vt conſulamus. *Licet enim breuius, quae ad religionem pertinebant, perſtrinxerit, quum vnum fere bellum propoſitum haberet, vix tamen antiquiorem ac certiorem rerum Gallicarum ſcriptorem inueniemus, qui de Diis Gallorum* (addo ego et de Druidis) *plura paucis verbis docuerit.* In Germania vero quum Rheno transiecto Caeſar vix pedem poſuerit, plurima eum ignoraſſe nemo diffitebitur. Quae igitur partim veriſſime, partim nimis ignoranter de Germanis prodidiſſe audacter aſſeuerat PHIL. CLVVERIVS *German. antiq. pag.* 155. haec Caeſari facile condonabunt aequi rerum iudices, quemadmodum nec ignorantiam linguae rerumque Germanicarum vitio ipſi vertent; quod tamen facit I. C. CLEFFELIVS *pag.* 425. *antiquit. Germanor. ſeptentrional. ſelect.* inquiens: „quia in Germania vix pedem poſuerat, de illa gente non „admodum multa eum reſciuiſſe certum eſt. Quum itaque rerum „Germanicarum ignarus eſſet, ea propoſuit, quae aut ſibi veriſimilia „aut vtilia videbantur, aut ex aliorum relatione ac interpretatione „hauriebat.„ Huc etiam referendum erit iudicium praeſtantiſſimi theologi, et hiſtorici CASP. CALVOER, quod de Caeſare *im alten heydniſch- und chriſtlichen Niederſachſen lib. I. cap.* 10. *§.* 68. *pag.* 28. ſequentibus prodidit verbis: „Caeſar hat kaum die erſte Grenzen „Teutſchlandes berührt, und alſo von deſſen Zuſtande, wenigſtens „aus eigener Erfahrung, keinen vollkommenen Bericht haben können.„ Adde ſis, lector, ſatis hisce de Caeſaris fide dictis, quae habet IO. SELDENVS in *Iano Anglorum tom.* II *pag.* 976. ſplendidae *operum* collectionis a DAV. WILKINS curatae; itemque HECT. GOTFR. MASIVS ſched. *de Diis obotritis pag.* 3. *not.* (a) et quae prudentiae hiſtoricae magiſtri, FRESNOIVS *catal. hiſt. pag.* 93. ad calcem *meth. legendi hiſt.* DEG. WHEAR *relect. hyem. pag.* 79. 80. NEVIVS *acceſſ. pag.* 121.

§. X.

Secundus eorum, quos in rebus Germanorum antiquis teſtes ſaepius excitabimus, CORNELIVS eſto TACITVS 15) qui, vti

vti aetate minor Caeſare plus integro ſaeculo fuit, atque e vicino Germaniae Belgio, cui regendo praefuiſſe dicitur, 16) propius illam cognoſcere potuit, ſic libro peculiari 17) religionem ac mores incolarum deſcripſiſſe, multaque ipſum ſatis bona fide retuliſſe, 18) ceu teſtem omni maiorem exceptione, partimque αὐτοπτην, doctiſſimi homines exiſtimarunt.

15) TACITVM multis laudare velle idem nobis videtur, ac Iliada poſt Homerum canere. Expediant alii hoc negotium, aut euoluant, in quibus praeclariſſime de eo dicta inueniuntur, volumina CONRINGII, VOSSII, HANCKII, MORHOFII, FABRICII, BAELII cet. Noſtra tantum intereſt referre, ceteris inter Romanos de antiquitatibus Germanicis ſcriptores iure meritoque praehabendum eſſe Tacitum, vt qui vnus omnium, iudice CLVVERIO *in proemio ad lib.* I. *Germ. antiq. pag.* 1. non modo quam plurima de Germanis, eorumque cum populo Romano bellis, in ſuis annalium hiſtoriarumque libris adnotauit, ſed et priuatim librum de ſitu ac populis huius terrae ac moribus vniuerſae gentis tam accurate, tamque diligenter conſcripſit, vt nullam aliquam gentem aeque deſcriptam ab vllo veterum auctorum habeamus.

16) Ita quidem optime limitanda cenſemus ea, quae olim, plurium ſuffragia doctorum ſequuti, ſine vlteriori examine ſcripſimus: *cui regendo praeerat.* Aſt valde dubium, ſi non plane falſum, hoc eſſe, exquiſitis rationum ponderibus euiciſſe mihi videtur cel. DITHMARVS tum in *diſſ. de fide C. Cornel. Taciti in rebus Germanorum* §. 3. qua communem opinionem, quod procurator Galliae Belg. atque in ipſa Germania verſatus fuerit Tacitus, oppugnat, tum in *praefatione ad ſyllogen diſſ. acad.* qua dubiis beati NIC. HIERON. GVNDLINGII, contra hanc ſuam ſententiam in *Gundlingian. part.* XXV. propoſitis breuiter, ſed accurate, ſi quid iudicamus, reſpondet.

17) Liber, quem innuimus, eſt ille, quem *de ſitu, moribus, et populis Germaniae* Tacitum ſcripſiſſe conſtat, a doctiſſimis quibusque patriarum antiquitatum cultoribus variis adnotationibus editum, atque nouiſſime perpetuo et pragmatico commentario illuſtratum a IVSTO CHR. DITHMARO Francof. ad Viadr. 1725. 8. Legatur de illo inſtar omnium beatus IO. ALB. FABRICIVS in *bibl. lat. vol.* I. *pag.* 470. et *vol.* II. *pag.* 751. ſq. Quod ſi perpulcrum eſt et magnum

 laudari

laudari a laudato viro, nemo profecto inuidebit maxima encomia, quibus vel ob hunc ſolum libellum Tacitum ornarunt immortalis gloriae ac doctrinae viri. *Laudo ſtudium grauiſſimi ſcriptoris ac prudentiſſimi*, habes verba IO. GVIL. BERGERI in *diſſ. de priſco Germano haud illiterato §. 4. pag. 9. cui praecipue, quidquid nouimus Germaniae veteris, referimus acceptum. Hoc teſte locupletiſſimo, Germana virtus, quae hoſtium obtrectatione oppreſſa iacuiſſet, effertur altius et eniteſcit.* Et paullo poſt eadem §. *Non prudentiam Taciti, non grauitatem, non eloquentiam neruoſam quadamque praeditam maieſtate, non alias tam illuſtris ingenii dotes, in medium reuoco, vbi ſatis eſſe puto, Tacitum vel nominari. Quod ſi beatus ſibi videbatur Plinius, ſi annalibus Taciti inſereretur, hocque ſibi acriter expetendum cenſebat, quanti tandem putabimus Germani, a Tacito res patriae antiquiſſimas integro quodam libro expoſitas eſſe.*

18) Quae BARTH. CHRIST. RICHARDVS in *diſſ. de dubia et incerta C. Taciti fide in Germ. Deorum hiſtoria* Ien. 1719. 4. edita contra fidem hiſtorici praeclari protulerit, neque vidimus, neque tanti putamus eſſe, vt nocere auctoritati ſcriptoris prudentiſſimi queant. Optima enim fide Tacitum de Germanis noſtris ſcripſiſſe, argumentis in medium adductis exemplisque probat *diſſ. cit.* DITHMARVS, quando eum oſtendit 1) plurima de Germanis ex aliorum narratione percepiſſe 2) multa ab ipſis Germanis captiuis in Italia didiciſſe, multa 3) Virginium Rufum alioſque familiares ipſius, qui aduerſus Germanos militauerant, eum docuiſſe 4) ſaepiſſime quoque ad communem famam prouocare 5) nonnumquam et coniecturis ſuis indulſiſſe 6) nihil tamen temere aſſumſiſſe aut credidiſſe, fabuloſis et incertis in medio relictis, et denique 7) optimos adhibuiſſe ſcriptores. Haec autem omnia ita comparata eſſe opinor, vt nullam in Tacito ſubleſtae fidei ſuſpicionem, vel ſi aliquam, certe in pauciſſimis, admittant. Neque tamen in nullo peccaſſe Tacitum volo, ſed ex ignorantia eum magis et incuria quam dedita opera peccaſſe pugno. Vide FRID. GVIL. BIERLINGIVM *de Pyrrhon. hiſt. pag.* 79. qui etiam ex CHR. THOMASII *delin. hiſt. iur. Rom. et Germ. §.* 76. obſeruat, Tacitum multa, quae conſuetudines Germanorum attinent, comparando ad mores Romanorum falſo ſibi imaginatum eſſe, quippe non cohaerentia cum moribus aliis. Cui obſeruationi alium magni eiusdem THOMASII locum, in celeb. C. G. BVDERI *biblioth. ſcript. Germ. pag.* 12. obuium addam. Ita vero ille: *Tacitus peritiam*

morum

morum Germanicorum habuit aliquam, non adeo magnam et exactam. Neque enim ad intimiora Germaniae acceſſit. De iis multa retulit ex auditu, multa iudicauit ex moribus Germanorum, Romanis finibus proximorum; quos tamen ab his corruptos fuiſſe ſaepius adnotat ipſe. Multa etiam iudicauit ex moribus mancipiorum Germanicorum, ad mores Romanos non accurate comparatorum, eosque incaute ad mores Germaniae applicauit. Ita bona quidem fide ſcripſit, quae de moribus Germanorum tradidit, ſed ſaepe etiam bona fide errauit. Aliorum de Tacito iudicia, vt I. C. SPENERI *in hiſt. Germ. part. I. pag.* 7. IO. BODINI *meth. hiſt. cap.* 4. *pag.* 66. itemque IOD. WILLICHII, FRANC. HOTOMANNI, STEPH. VIN. PIGHII, apud HANCK. *de Rom. rer. ſcriptorib. part. II. pag.* 279. 280. et FVNCCIVM *lib. cit. pag.* 584. *ſqq.* nunc praetermitto. Reliquos, qui vel e Graecis vel Romanis mentionem in ſcriptis de Germaniae ſtatu antiquo fecere, tanti non habemus, vt multum iis iuuari nos poſſe credamus. Neque tamen ideo ſpernenda cenſemus, quae ad noſtri illuſtrationem argumenti poſtea in medium adferemus teſtimonia et loca ex DIODORO SICVLO, STRABONE, DIOGENE LAERTIO, POMPONIO MELA, LVCANO, et PLINIO maiore, cui, vt et AMMIANO MARCELLINO, ob eximiam in rebus Germanicis peritiam, poſt HERM. CONRINGIVM in *praefat. ad edit. tertiam Taciti* 1678. curatam, multum tribuit eruditiſſimus vir H. CANEGIETER *diſſ.* exaſciatiſſima *de Brittenburgo pag.* 49. De his vero et aliis temporum iniuria nobis ereptis auctoribus, qui de rebus Germ. vet. tractarunt, euoluantur CHR. CELLARIVS *diſſ. acad. pag.* 575. I. C. NEVIVS in *mantiſſa ad Whear. relect. hyemal. pag.* 2. *ſqq.* it. anonymus in *breui introduct. in hiſtoriam rerum German. literariam pag.* 106. et qui primo dicendus nobis erat celeb. C. G. BVDERVS in *bibliotb. ſcriptor. Germ. pag.* 6. *ſqq.*

§. XI.

Satis haec de veteribus dicta ſunto. E recentioribus nemo maiori eruditionis adparatu atque iudicio illam de veterum Celtarum, quorum pars Germani fuere, 19) religione ac philoſophia materiam pertractauit, quam IACOBVS MARTINVS, 20) nuperus antiquitatum patriarum indagator ſollertiſſimus. Proxime ille abeſſe a ſcopo noſtro viſus eſt, quando philoſophica plane ratione in dogmata Gallorum inquirit, eorumque ſyſtematis

 deli-

Digitized by Google

delineationem longe κριτικωτάτην legentibus offert. Huic principem inter recentiores locum merito adſcribimus.

19) Vide §. ſeq.

20) Ita nomen eius hinc inde effertur in *nouellis litterariis (denen neuen Zeitungen von gelehrten Sachen) anni* 1730. atque etiam aliorum. Index libri Gallice conſcripti hic eſt: *La religion des Gaulois tirée de plus pures ſources de l'antiquité. Par le R. P. Dom ***. Religieux Benedictin de la Congregation de S. Maur, a Paris* 1727. II. voluminibus, forma quadripartita maiori. Quantis hoc opus laudibus certatim viri praeſtantiſſimi condecorarint, iam multis referre non vacat. Adeat, qui plura de illo noſſe cupit, *acta eruditorum Latin. menſe Jun.* 1728 *pag.* 242. *ſqq.* item *Germanica part.* 132. *pag.* 837. *ſqq.* it. *part.* 133. *pag.* 41. *ſqq.* Multa cum cura deſideratiſſimum hoc opus inſpeximus, inque noſtrum qualecumque ſchediaſma tranſtulimus, id quod publice gratiſſima mente profitemur. Interim noſtra cum Gallicis, cui volupe eſt, conferat, et iudicet, num plagii vitio nos reos quisquam pronunciare poſſit.

§. XII.

Ante vero quam de ipſa Germaniae antiquae philoſophia diſpiciamus, duo nobis praemonenda eſſe videmus. Primo, illam, quae Celtarum olim erat, noſtrorum etiam fuiſſe ſapientiam Germanorum, 21) quos ſub occidentalium populorum nomine ſimul comprehendimus. Deinde vocabulum philoſophiae non ſtricto ſed latiori paullulum ſignificatu a nobis ſumi, ita vt omni eruditioni aequipolleat. 22)

21) Gallos aeque ac Germanos communi Celtarum nomine olim fuiſſe inſignitos, plurimis, ſi opus foret, veterum teſtimoniis comprobari poſſet. DIONEM CASSIVM ex multis audire iuuabit, qui *lib. XXXIX. hiſtor. p. m.* 114. ait: ἐπεὶ τόγε πάνυ ἀρχαῖον Κελτοὶ ἑκάτεροι οἱ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ Ῥήνου οἰκοῦντες, ὠνομάζοντο: *antiquiſſimis nimirum temporibus populi iſti ad vtramque Rheni ripam colentes, CELTAE appellati fuere.* Cui ſuffragium fert PAVSANIAS *lib. I. deſcript. Graec. fol.* 6. inquiens: Ὀψὲ δέ ποτε αὐτοὺς καλεῖσθαι Γαλάτας ἐξενίκησε. Κελτοὶ γὰρ κατά τε σφᾶς τὸ ἀρχαῖον καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ὠνομάζοντο: *verum vt Galli appellarentur, non niſi ſero uſus obtinuit. Celtas enim cum ipſi ſe antiquitus, tum alii*

lii eos nominarunt. Adde ſis ex inſtituto hac de re differentem CHRISTOPH. BROWERVM *antiquit. et annal. Treuir. tom. I. cap. VII. proparaſceues pag.* 14. *ſqq.* vbi fuiſſe tempus adfirmat, quum Celtarum, Gallorum, Germanorum, Galatarum vocibus ſubiecta notio eſſet eadem, populosque et immenſas, vltra citraque Rhenum introrſum extrorſumque, nationes vſu atque vi ſua comprehenderet. Et *pag.* 15. vbi Celtarum vocem proprie in Germanos cadere diſputat, ſic pergit: *Germaniae conſtat populis hanc certe vocem tam fuiſſe peculiarem, vt velut palmaria praecipuaque non ab vltimis modo Graeciae ſcriptoribus, ſed omnium aetatum hiſtoricis, huic prope nationi ſit attributa.* Haec ille. Euolue porro, lector, ſi placet, REINESIVM *var. lect. lib. III. cap. I. pag.* 306. MENAGIVM *ad Laërt. pag.* 3. HERTIVM *notit. vet. Germaniae populor. pag.* 6. 7. reu. WOLFIVM, τὸν πάνυ, *ad Orig. philoſophum. pag.* 169. HECHTIVM *German. ſacr. et literat. pag.* 38. *ſq.* virum illuſtriſſ. HENR. DE BÜNAV *in der Teutſchen Kayſer- und Reichs-Hiſtorie tom. I. pag.* 630. IAC. CAR. SPENERVM *notit. Germ. antiq. lib. III. cap.* 4. *pag.* 121. G. G. LEIBNITIVM *in den Beyträgen zur critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache* cet. *tom. I. pag.* 363. atque IO. GEORG. WACHTERVM in *gloſſario Germanico minori praefat.* §. 36. Optime GVNDLINGIVS *ſtricte*, inquit, *nimis philoſophiam Celticam deſcribunt, qui ad ſolam Gallorum gentem reſtringunt, meosque Germanos excludunt. Hiſt. phil. moral. pag.* 44. *not. t)* Conf. *la religion des Gaulois prefac.* §. *XIV.* ſub finem.

22) Res ipſa loquitur, quum de antiquarum gentium philoſophia ſermo eſt, longe aliter, quam de illa noſtrorum temporum philoſophandi ratione, pronunciandum eſſe. In tantum igitur cum Graecis veteres barbaros habemus pro philoſophis, in quantum aliquam veritatum, ad omnem eruditionem pertinentium, cognitionem illi habuerunt. Clariſſimus vir IACOB. BRVCKERVS in *quaeſt. hiſt. phil. tom. I. pag.* 189. ad quaeſtionem; num apud Celtas philoſophiae ſtudia vmquam floruerint, optime reſpondet: *Wenn man das Wort Philoſophie für die Gelehrſamkeit ſelbiger Zeiten nimmt, ſo kan man wol ja ſagen.* Add. ſumme reu. ac longe celeberrimi IAC. WILH. FEVERLINI, patroni ac praeceptoris noſtri plurimum honorandi, *curſus philoſophici tab. I.*

CA-

CAPVT I.

De Druidarum nominibus praecipuis, origine, antiquitate, et ſedibus primis in Britannia, tum etiam Gallia, Germaniaque.

§. I.

AD rem ipſam igitur properamus nunc ſine mora longiori, atque ea iam, quae ad pernoſcendos antiquiſſimos Celtarum philoſophos, tum et illorum philoſophiae ac dogmatum rationem faciunt, ſuccincte trademus.

§. II.

DRVIDAS innuo, quum mihi de philoſophis occidentis, et noſtrae quoque patriae ſermo eſt, quorum nominis etymologia obſcura nobis potius quam explorata eſſe videtur. a) Quum vero, vti poſtea videbimus, primae Druidarum origines e Britannia repetendae ſint, illorum ſententiam proxime omnino ad veritatem accedere cenſemus, qui a vetuſtiſſimo, Britannis olim ac Celtis vſurpato vocabulo DERV, *quercum* denotante, eos ſic appellatos fuiſſe contendunt. b) Minus contra probabili ratione vtuntur, qui vel a Saxonico DRY, c) vel Germanico ſubſtantiuo DRVHTIN, d) vel Graeco ΔΡΥΣ, e) vel aliunde f) veram vocis originem deriuandam exiſtimant.

a) Cum ſumme reuer. WOLFIO *loco* antea *cit.* Memini hoc loco fortaſſis haud inepte illius iudicii, quod de etymologiis iam olim veriſſime tulit S. AVGVSTINVS apud cel. HEVMANNVM *vol. I. poecil. pag.* 56. quando ait: *vt ſomniorum interpretatio, ita verborum origo pro cuiusque ingenio praedicatur.*

b) Praeclara doctiſſimi GVNDLINGII eſt obſeruatio, quum *hiſt. phil. moral. pag.* 49. ait: *multo ſanius nominis Druidarum origo ab ipſis Celtis petitur, quibus aut peculiaris ſua lingua conſtitit, aut cum Britannis ſeu Cambris Germanisque communis.* Vnde parum referre arbitror, ſiue ex hac ſiue illa ducas. Conſentiunt autem nobiscum MARTIN *de la religion*

religion des Gaulois tom. I. pag. 176. vbi ſimul PEZRONVM, alium vocis ἔτυμον quaerentem, notat, GVIL. CAVE in *antiquitat. apoſtol. pag.* 26. et EDMVND. DICKINSON in *Delphis phoeniciſſantib. pag.* 188. *edit. Crenii*, qui, *illis potiſſimum adſentior*, inquit, *qui Druides arceſſunt a Celtica voce Deru, id eſt, quercus, quam vel hodie Cambro-Britanni Derw vocant. Et ab illa Druidas Derwyddon nuncupant.* Qua in re BOXHORNIVM in *orig. Gallicis cap. III.* ſequitur, atque DAVIESII *dictionarium Cambro-Britannicum*, (auctoritate regis Iacobi I. ante ſaeculum editum, quemadmodum THEOD. HASAEVS *ſyllog. diſſert. et obſeruat. philologicar. pag.* 613. teſtatur,) euolui a legentibus cupit, mihi numquam viſum. Omitto ROB. SHERINGHAMI & IO. GEORG. ECCARDI, tamquam ὁμοψήφων, loca, pariter e DAVISIO hauſta, obuia apud HASAEVM *loc. cit.* quibus iungi merentur, quae inter Anglos huius aeui doctiſſimos haud poſtremus, IO. DAVISIVS ad CAESARIS *de bello Gall. lib. VI. cap.* 13. in ſua huius editione, *Cantabrigiae* 1706. 4. euulgata, hanc in rem obſeruauit. Conſtabit nimirum ex ſequentibus, maximo ſemper honore cultuque quernam arborem Druidas fuiſſe proſequutos, adeo, vt nihil ſacratius robore habuerint, nihil bene peractum in religionis negotio, Diisue gratum cenſerent, quod non ad querceta, tamquam veriſſimam numinum ſedem referretur. Homines igitur, qui ſub quercetorum vmbris ſacra gentilitia curabant, illa Druidum vox denotat. Ceterum noſtrae quam proxime ſententiae accedunt IO. ISAAC. PONTANVS, et ES. PVFENDORFIVS, quando vterque Druidarum appellationem a vocabulis Britannicis *Try*, arbor, & *wys*, ſapiens, arceſſunt, atque ſic quaſi ſilueſtres, ſiluaticos aut arborum philoſophos, qui vitam ſuam iugiter in ſiluis traducebant, Druidas interpretantur. Ille quidem in *gloſſario priſco Gallic. pag.* 292. hic in *diſſ. de Druidis pag.* 35. *opuſculor.*

c) Cum ARNOLDO MONTANO apud GODOFR. HECHTIVM in *Germania ſacra et litterata pag.* 33. Ille enim ex ALFRICI gloſſario Saxonico Latino obſeruat, Saxones in Britannia magos ſua lingua vocaſſe *Dry*, quae appellatio Druidibus optime conueniret. Sed nec a magia nomen Druidis, nec ad ſequiora demum tempora, quum Saxones in Anglia dominarentur, referendum eſt, quum multo habeamus antiquiora Druidum in Britanniis veſtigia.

d) Ita quidem nonnulli apud CLVVERIVM *German. antiq. lib. I. cap.* 24. et GER. IO. VOSSIVM *de idololatr. lib. I. cap.* 35. Ita et eruditiſſi-

Digitized by Google

ditiſſimus olim IO. PHILIP. PALTHENIVS apud SCHILTERVM *tom.* III *theſ. antiquit. Teuton. pag.* 212. „ubi adiectiuum cenſet eſſe nomen „*Drutarum*, ſiue liqueſcente magis ſono *Drütarum* vel *Druida-* „*rum*, formatum a ſubſtantiuo *Druthin* (dominus, deus) quaſi, qui „rem diuinam faciunt, plane diuinos dicas.„ Pari ratione veriſimilem Druidarum deriuationem a *Druthin* eſſe ſibi perſuadent HERM. VLRIC. VON LINGEN in *kleinen Teutſchen Schrifften part. I. pag.* 31. celeb. KOELERVS *diſſ. de ſcholis German. pag.* 13. OBRECHTVS *diſſ. de philoſophia Celtica §.* 3. et cum illo DITHMARVS *ſyllog. diſſert. academicar. pag.* 329. itemque CASP. CALVOER in *Saxonia infer. antiqua gentili et chriſtiana part. I. lib. II. cap. IV. §.* 151. *fol.* 68. inquiens: *Wie aber? wenn der Nahme der Druiden herſtammete von Druthin, welches bey den alten Francken ſo viel hieſs als Gott? Bey dem Ottfrido kommts in denen Evangeliis und ſonſt mehrmalen vor;* et poſt loca ex hoc citata: *Wie denn noch heutiges Tages die Mutter ihr geliebtes Kind, der Ehe-Mann ſein geliebtes Gemahl in dem liebkoſen pflegt ſein Druitchen, das iſt, ſein Göttichen oder kleinen Gott, welches er beynahe wie Gott liebe, zu nennen. Wann dann die Druitchen oder Druiden bey denen alten Teutſchen oder auch Gallis ſo viel geweſen als Prieſter, welche als kleine Götter, zumahlen ſie dem Druthin, oder groſſem Gott mit ihrem täglichen Dienſt und Verehrungen gar nahe getreten, gehalten wurden, würde man dann, wann man die Benahmſung der Druiden daher leitete, eben was ungereimtes ſagen? Auf ſolche maſſe würden die Druides ſo viel heiſſen, als* Σεμνόθεοι, *Dei veneratores, Gottes Ehrer oder Diener, geſtalt hieher gehöret, was Diogenes Laërtius in prooemio ſchreibet:* γεγενῆσθαι παρά τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλουμένους Δρυΐδας καὶ Σεμνοθέους; *Es habe bey denen Celtern und Galatern gegeben ſolche Leute, welche man nennete Druiden und Semnotheen, das iſt, Gottes Verehrer und Diener.* Inuertit rem celeb. STRVVIVS dicitque: *non denegauerim, a voce Druidae vocem Druthin ſ. Truthin fuiſſe ſubortam, quae dominum notabat, Deo etiam tribuebatur, fol.* 31. *corporis hiſtoriae German.* At nullam ego rationem ſufficientem video, cur cum PALTHENIO et STRVVIO ſtatuamus, maiores noſtros Deum et ſacerdotes vno eodemque nomine appellaſſe.

e) Iam olim PLINIVS *hiſt. nat. lib. XVI. cap.* 44. hac de re mentem ſuam ita explicauit, vt dubitare de ſententiae propoſitae veritate

Digitized by Google

tate queat videri, id quod accurate legentibus patebit. Conſentit
nobiscum, quod laetamur, et nunc demum, poſtquam haec ſcripſe-
ramus, cognouimus, ESAIAS PVFENDORFIVS *de Druid. pag. 36. o-
puſculor.* Sequuti ſunt eum e recentioribus multi, quos inter et
magnus ille SAM. BOCHARTVS, in *Chanaane lib. I. cap. 42. pag. 666.*
edit. PET. DE VILLEMANDY, inquiens: *De nomine Druidum Plinio ad-
ſentior, qui deducit ἀπὸ τοῦ δρυὸς a quercu.* „Nihil, inquit, habent„
Druidae viſco et arbore, in qua gignatur, ſi modo ſit robur, ſa-„
cratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos: nec vlla ſacra ſine„
ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione„
Graeca poſſint Druidae videri.„ *Nec eſt quod quis miretur, cur Drui-
des Graeco nomine appellentur, quum etiam apud Celtas quercus deru dicta ſit.
Britanni in Anglia derw ſcribunt, et noſtrates deru.* A quo parum de-
flectit vir cl. IO. SCHVLZIVS, qui in *florum ſparſione ad loca quaedam,
in re litteraria controuerſa pag. 217.* Druides denominatos contendit
a δρίος, quod et quercum et quamlibet arborem Graecis ſignificet, vti
roboris vocabulum Latinis; prouti docent ACTA ERVDITOR. LIPS.
ad ann. 1707. *pag.* 122. *ſub fin.* Sed praeſtat cum STRABONE et CA-
SAVBONO *adnot. ad Laërt. pag.* 2. negare, in appellationibus gen-
tium barbararum graecas etymologias eſſe quaerendas. Vid. VOS-
SIVS *de idololatria lib. I. cap.* 35. Graecam potius vocem δρῦς a Celti-
ca *Deru* formatam contendit DICKINSONVS *l. c. pag.* 189. quod ſuo
loco relinquimus. Lepide iocatur SCHOTTELIVS *von der Teutſchen
Haupt-Sprache pag.* 56. quum ait: „Das Wort Druiden kommt von„
einem Teutſchen uralten Stamm-Worte, welches auch Cluve-„
rius mit mehrerm beweiſslich gemachet. Irrig iſt es, daſs mans„
vom Griechiſchen Δρῦς, welches einen Eich-Baum bedeutet, ab-„
gauckeln will, wie kommt von einem Eichen-Klotze der Nah-„
me der vornehmſten Land-Richter und heiligſten Prieſter doch„
her? will man ſagen: darum, dieweil ſie unter einem Eichen-„
Baume zuweilen geſeſſen, ſo meyne ich gleichfalls, δρῦς käme von„
einer Drüſe, denn wenn ein Eich-Baum einem auf den Kopf fie-„
le, würde ſolches eine groſſe Drüſe ſchlagen.„ Placent enimuero
egregie verba clariſſimorum virorum, qui operam ſuam in euulgan-
dis ACTIS ERVDITOR. GERMANICIS ponunt, quando *part.* 149.
vol. XIII. pag. 359. inquiunt: *Es haben uns allezeit dieienigen ein gelehrtes
Spiel-Werck zu unternehmen geſchienen, welche in Herleitung der Worte ei-*

Digitized by Google

ner Sprache aus einer andern fremden, keinen andern Grund, als einen gleichlautenden Ton, und etliche unerwieſene Einfälle angeben können.

f) Vide IO. PICARDVM, qui *lib. II. Celtopaediae pag.* 58. 59. „Suam, *inquit*, Druides appellationem ſortiti ſunt a principe ſuo „Druide, ſiue Dryio, qui an quartus fuerit Gallorum rex, an vero „quintus; rurſus an pater huius fuerit Saro, an vero Namnes hu- „iusce nominis primus, pendet adhuc fides veri. Hic regnare, et „cum regni adminiſtratione philoſophari coepit anno, poſt dilu- „uium, decimo ſupra quadringenteſimum, anno vero poſt primam „regni Gallici exſtructionem quinquageſimo quinto ſupra ducente- „ſimum. De exquiſitiſſima et admirabili huius eruditione ac theo- „ſophia multa paſſim„ cet. Conſentit STEPH. FORCATVLVS *de Gallor. imperio et philoſophia pag.* 40. vbi: „Poſt Saronem, *inquit*, ar- „duum et iuſtum principem, qui Gallos - - domiciliis primum, „deinde coniugiis, ſtudiis denique communibus coniunxerat, vſ- „que ad Galatheum, Herculis magni filium, imperauere Galliae hi „gradatim reges: Dryius, Bardus, Longho, Bardus iunior, Lucus „et Celtes. Dryium peritiae plenum Beroſus vocat, a quo Dryi- „dae ſeu Druides nominati.„ Iisdem delectatur fabulis BARTH. CHASSANAEVS in *catal. gloriae mundi pag.* 559. *ſqq.* edit. Colon. 1690. fol. De aliis nominis originibus vide etiam FLACIVM apud PVFENDORFIVM *l. c. pag.* 34. SPELMANNVM et M. ANT. DOMINICVM apud DICKINSONVM *loc. cit.* BVCHERIVM *Belgii Rom. lib. V. cap. IV. §.* 14. itemque SCHEDIVM *de Diis Germanorum pag.* 376. cum IARKII *ad illum locum obſeruatione*; et qui primo loco nominandus erat, cel. IO. GEORG. WACHTERVM *tom. I. gloſſarii German. fol.* 311. *ſqq.* nec non IO. TOLANDVM in ACTIS ERVDITOR. *ann.* 1729. *pag.* 357. qui poſt RODERIC. FLAHERTVM *Ogyg. domeſtic. part. III. cap.* 22. a vocabulo Hibernico *Drui*, corrupte *Droi*, et magis corrupte *Draui*, perſonam Deo ſacram denotante, repetit. Recentiſſime THEOD. HASAEVS *pag.* 609. de etymo vocis Druidum ita commentatur, vt tandem *pag.* 618. a voce *True* fides, fidelitas, deriuet. Eamdem deriuationem tuetur HVGO GROTIVS in *indice nominum propriorum Gotthicorum, hiſtoriae Gotthorum, Vandalor. et Langobardorum* a ſe congeſtae, ſubiecto *pag.* 588. inquiens: „*Drectulf. Drucht-ulf.* fidelis auxiliator. „*Druch*, et *Trud*, *Trouwe*, fides. *Truchtin*, dominus. Saepe occurrit „in nouo teſtamento vetere Germano. *Truchtin* in gloſſario, et „nunc

nunc quoque Suedis regina. *Drot-ning:* puto, quod fides ei data „ ſit: vt qui fidem dederunt *Drudos*, *Drudi*, *Druides*.„ Conf. et DV FRESNE *gloſſarium ad ſcriptores mediae et infimae Latinitatis tom. II. fol.* 200. vocibus *Truchte*, *Druthe*, *Drudes*. Meritiſſimus quondam Gymnaſii noſtri Profeſſor, meusque in obeundo docendae poeſeos munere non ſine honore appellandus anteceſſor, b. MARCVS BRAVNIVS anceps erat, quam partem in eligendo vocis Druidarum etymo acciperet, vbi in *corollario V. exercit. circular. XXXVIII.* mentem ita ſuam expreſſit: „Druidarum nomen, ſiue a Saxonum Dry, Magus; ſi-„ ue a Germanorum Dru, fides; deducatur, ſapientem denotat.„ Adeo diſſentiunt inter ſe viri eruditi in conſtituendo nominis Druidarum etymo, vt difficile omnino ſit, ſingulas eorum ſententias referre, nedum examinare, aut certi quid ſtatuere. Bene propterea et ſapienter iudicant doctiſſimi monachi Benedictini e congregatione S. Mauri *tom. I. pag.* 30. operis eruditiſſimi, *hiſtoire literaire de la France*, dicentes: *Qu'importe au reſte de rechercher ſi ſcrupuleuſement l'etymologie du nom de ces ſavans, pourvû que nous ſachions, qui ils étoient? c'eſt là le principal, et ce qui nous doit ſuffire.*

§. III.

Praeter communem illam et vulgarem appellationem alia habebant adhuc nomina Celtarum philoſophi. *Dryſidas* vocat AMMIANVS, g) *Semnotheos* LAERTIVS, h) *Saronidas* DIODORVS, i) *Bardos* et *Vates* STRABO, k) *Senanes* e recentioribus MARTINVS. l)

g) *Lib. XV. cap.* 9. *hiſtor.* vbi VALESIVS pro Draſydae reſtituit Dryſidae, quod idem valet ac Druidae, prout e vett. codd. probat in *adnot. ad h. l. p. m.* 97. edit. Paris. 1681. fol. Neſcio itaque, quid ſibi velit SCHILTERVS, quum *pag. XVIII. praefat. ad gloſſar. Alamannic.* Valeſium reprehendit, qui meo quidem iudicio nihil egit, quod cenſura dignum eſſet. Nempe AMMIANVS Druidas non tamquam populum, ſiue nationem, ſed tamquam teſtes fide dignos adducit.

h) *Prooemio ad vitas philoſ. pag.* 2. τοὺς καλουμένους Δρυΐδας καὶ Σεμνοθέους. Prolixe de hoc vocabulo commentatur IO. GALESIVS apud MENAGIVM in *obſeru. ad Laert. pag.* 3. *ſq.* ed. Amſt. contenditque, Σαμνίτας pro Σεμνοθέους legendum videri. Nos, vti doctiſſimae

Digitized by Google

huic coniecturae nihil obuertimus, eorum nihilo minus admittendam eſſe ſententiam cenſemus, qui LAERTIVM, neglecta voce Gallica aut minus intellecta, aliam commodiorem, et Graecis auribus vſitatiorem, qualis Σεμνοθέων erat, ſubſtituiſſe credunt. Neminem poenitebit legiſſe quantiuis pretii obſeruationem IOACH. KVHNII de hoc vocabulo, quae prima eſt inter eius *obſeruat. in Laert.* MENAGII commentario ſubiunctas a MEIBOMIO *pag. 511.* Vocantur etiam *Samothei*, a Samothe, eximio quondam, ſi diis placet, rege et philoſopho, quem in ſuo Beroſo finxit ANNIVS, cuius nugae multis placuere, quos inter haud poſtremus eſt IO. PICARDVS *Celtopaediae pag. 51. ſqq.*

i) *Biblioth. lib. V. fol.* 308. *D.* edit. RHODOMANNI. Φιλόσοφοί τέ τινες εἰσι καὶ θεόλογοι περιττῶς τιμώμενοι, οὓς Σαρωνίδας ὀνομάζουσι, i. e. *Philoſophi apud eos* (nempe Gallos) *ſunt et theologi, eximio bonore culti, quos Saronidas vocant.* Non certe a Sarrone nomen traxere Saronidae, de quo ineptiſſimarum fabularum artifex IO. ANNIVS in ſuo pſeudo-Beroſo *pag. 53. b.* edit. Witteb. 1612. 8. „Quando, *bis*, ait, *temporibus regnauit apud Celtas Sarron, qui vt contineret ferociam hominum tum recentum, publica litterarum ſtudia inſtituit, et apud Tuyſcones Ingaeuon. Nomen arguit, a Sarrone duce Saronidas dici Gallos doctos, de quibus in VI. libro Diodorus.* Nos, miſſis hisce turpiſſimi impoſtoris ineptiis, meliora tradimus, & certiora. Nempe Σαρωνὶς, vti ex HESYCHIO liquet, quercum, cuius cortex hians et conuolutus erat, Graecis denotabat. Ita enim ille: Σαρωνίδες, αἱ διὰ παλαιότητα κεχηνυῖαι Δρύες. Adeo verum eſt, quod ſupra de quercu, ceu palmaria denominationis ratione, diximus, vt ipſimet etiam Graeci vocabula effinxerint, quibus genuinum Celtici vocabuli ſignificatum patria lingua exprimerent, vid. DICKINSON. *l. c. pag.* 189.

k) *Geograph. lib. IV. fol.* 302. edit. ALMELOVEENII, vbi τρία φῦλα τῶν τιμωμένων, tria hominum inter Celtas maxime honoratorum genera adducit, *Bardos*, *Vates*, atque *Druidas.* Locum habes apud CLVVERIVM *German. antiq. pag.* 163. vbi triplex eorum, quos poetas, philoſophos et theologos appellare poſſes, differentia, collatis veterum locis, explicatius oſtenditur. Pauca de illis in gratiam lectorum adnotare liceat. *Bardos* vocat MARCELLINVS *lib. XV. cap.* 9. eos, *qui fortia virorum illuſtrium facta, heroicis compoſita verſibus,*

Digitized by Google

bus, *cum dulcibus lyrae modulis* (μετὰ ὀργάνων ταῖς λύραις ὁμοίων, ita exprimit DIODORVS SICVLVS *l. c. biblioth.*) *cantitarunt. Poetae* igitur erant et *cantores*, ὑμνηταί τε καὶ ποιηταὶ teſte STRABONE *l. c.* Addit TOLANDVS in *actis eruditor.* 1719. *pag.* 395. tertiam claſſem, nempe *chronologorum*, ſ. eorum, qui temporum rationes obſeruabant. Sed neſcire me fateor, quo fundamento haec proferat, quum veteres nihil, quod ſciam, doceant. POMPEIVS quoque FESTVS, *Bardus*, inquit, *Gallice cantor appellatur*, *qui virorum fortium laudes canit.* LVCANVS *lib. I. pharſal. v.* 447. ita de illis:

Vos quoque qui fortes animas belloque peremtas
Laudibus in longum vates dimittitis aeuum
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Vix riſum tenui, quum viri olim eruditiſſimi CASP. CALVOERII cogitata legerem de diſcrimine, quod STRABO Bardos inter, Vates atque Druidas poſuit. Audias quaeſo, lector, verba eius e *Saxonia infer. antiq. gentili et chriſt. pag.* 65. et iudices velim: „Mit einem Worte, mir ſcheint wahrſcheinlich an, daſs die drey genera oberwähnter geiſtlicher Männer Gleichheit gehabt, einmal mit denen heutigen Schul-Lehrern in denen Triuial-Schulen, darinn auch Poeſis gelehret wird, dann mit denen gemeinen ordinairen Dorff- und Stadt-Predigern, und drittens mit denen hohen Stiffts-Collegiis oder Academien, die an ſtatt der Stiffter, da die Profeſſiones diſciplinarum darinn aufhöreten, introducirt worden.„ Parallelismum deinde *pag.* 69. inſtituit inter Druidas et Capitulares ſedium epiſcopalium modernos: „daſs alſo der Druidum Collegia haben geglichen denen alten hohen Dohm-Stifftern und ſedibus epiſcopalibus, in welchen die Dohm-Herren nebſt dem, daſs ſie zu Chor giengen, auch und zuförderſt Profeſſores, wie in andern Facultäten, alſo und inſonderheit in der Theologia waren, und dannenhero in denen wichtigſten caſibus, ſo wohl in der Kirchen als Policey, wie heutiges Tages bey denen Facultäten auf Univerſitäten geſchicht, conſuliret wurden.„ Et eadem pagina: Der Parallelismus und Gleichheit der Druiden und hohen Stiffts-Collegien wird ſich hervor thun, wenn man wird des Caeſaris Worte herbey ſetzen, cet.„ Alia eſt Bardorum atque Druidarum comparatio cum Curetibus, Iouis olim curatoribus, a PEZRONO facta

facta in libro: *antiquité de la nation et de la langue des Celtes;* qua de vero, quum ad manus noſtras liber non peruenerit, non iudicamus, ſed potius ad pleniorem ſententiae huius recenſionem, quam ACTA ERVDITOR. LIPS. *ann.* 1704. *pag.* 15. *ſeq.* exhibent, lectorem noſtrum remittimus. Ceterum Bardos vt a Druidis, ita etiam a Scaldis non diuerſos, nec niſi vnum cum his genus hominum fuiſſe, ſed diuerſo tantum nomine, pro regionum diuerſitate, in Gallia et Britannia Druidas, in Germania et Belgio Bardos, et in Scandinauia Scaldos vel Vates vocatos, arbitratur vir cl. IO. AVG. EGENOLFFVS *in der Hiſtorie der Teutſchen Sprache part. II. pag.* 207. *ſqq.* et quem ille allegat doctiſſ. HERM. VLR. VON LINGEN *part. I. der Ienaiſchen academiſchen Neben-Stunden pag.* 42. & 45. *ſq.* Adde his, quae ex M. FABIANI TOERNERI *diſſertatione academica de poeſi Skalldorum ſeptentrionalium, Vpſal.* 1717. habita, allegant doctiſſimi ſocietatis Teutonicae Lipſienſis ſodales *part.* I. *der Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache, Poeſie und Beredſamkeit Vol. I. pag.* 112. *ſq.*

Magna vero erat olim Bardorum auctoritas, et magna veneratio, adeo vt integrae ipſis committerentur acies, arbitriumque pugnae penes ipſos eſſet, ſi DIODORO antea citato credimus. Confirmat certe TACITVS, quando *cap. III. de morib. Germanor.* ita pergit: *Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem Barditum vocant, accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam ipſo cantu augurantur.* Qualis autem iſte fuerit cantus, ipſe docet in ſequentibus, quem, qui velit, inſpiciat. In eamdem rem pronunciat TAILLEPIED *dans ſon hiſtoire de l'etat et la republique des Druides part. I. pag.* 77. *ſq.* „On faiſoit venir „le Bardes de la cité de Lyon ſur le Rhoſne, ou pluſieurs la faiſoient „leur repaire, ou bien d'Othun, ou il y en avoit un college, et e„ſtans arrivez au lieu de la bataille, ils rompoient la felonnie des „combattans par leurs chanſons harmonieuſes.„ Facile porro adducor, vt credam cum GVNDLINGIO *hiſt. phil. mor. pag.* 49. illos non poetas tantum Germanorum primos, ſed et *hiſtoricos* fuiſſe. Laudatus antea TACITVS hoc vt faciamus ſuadet, quando *cap. II.* vnum apud illos memoriae et annalium genus eſſe fatetur, carminibus antiquis heroas celebrare, quod Bardorum erat officium. Confer, ſi placet, clariſſimum DITHMARVM *ad h. l.* Erant praeterea Bardi non poetae ſolum, laudumque a maioribus partarum cantores, ſed et *morum cenſores.* IAC. MARTINVS, *tom. I. pag.* 173. *ſq.* *de*

Digitized by Google

de la religion des Gaulois, hoc ita ediſſerit: „Les loüanges ne faiſo-„ ient pas l'unique occupation des Bardes, ils ſe mêloient encore de „ cenſurer, de ſyndiquer les actions des particuliers: ſur tout ils „ chargeoient ceux, dont la conduite ne répondoit pas à leur devoir.„ Ambigua DIODORI verba de Bardis, *οὓς ὑμνοῦσι, οὓς δὲ βλασφημοῦσι*, anſam fortaſſis praebuere HADR. VALESIO, Romanorum paraſitis et mimis eos adſimilandi. Sed quemadmodum bene monuit GVNDLINGIVS, loca ATHENAEI, ab illo producta, hoc neutiquam probare, ita mihi cum b. SCHILTERO *gloſſar. teut. fol.* 88. Bardi honeſtiores fuiſſe videntur, ſeriis magis exerciti, quam iocis aut adulationibus. Conf. omnino celeb. IO. GEORG. WACHTERVS *gloſſar. German. tom. I. fol.* 119. *ſq* itemque *fol.* 125. voc. *Barten*, *pugnare.* Sed ſatis de his, et forte plus ſatis diximus de Bardis, magno interim deſiderio exſpectantes vberiorem Bardorum hiſtoriam, cuius exhibendae ſpem eruditis gratiſſimam fecit vir longe doctiſſimus, HENR. HEISENIVS *orat. de eloquentia veter. Germanor. pag.* 21. *ſq.* vbi primas promiſſi lineas opuſculi elegantiſſime duxit.

Pergimus ad *Vates.* Retinuit STRABO nomen Latinum, et Ὀυάτεις dixit *ἱεροποιοὺς καὶ φυσιολόγους*, *qui ſacra curant, rerumque naturam explicant.* DIODORVS *lib. V.* Μάντεις appellat. *Sunt et Vates*, ait, *magnae apud eos exiſtimationis. Hi ab auſpiciis et victimarum extis de futuris praedicunt, omnemque plebem dicto audientem habent.* *Vaties* vocat SCHEDIVS *pag.* 625. *Ouuates*, *Offwyr* ſeu *Offyddion* vetus Britannorum lingua expreſſit apud HENRIC. ROWLANDVM in ACTIS ERVDITOR. LIPS. *tom. IX. ſupplem. pag.* 414. Forte hi erunt *Eubages*, quorum *loc. cit.* meminit AMMIANVS, ſiue, vt mauult VALESIVS, *Eubages*; niſi, quod cum CLVVERIO *l. c. fol.* 163. non ſine ratione ſuſpicor, mendum in textum irrepſiſſe ſtatuamus, atque pro *Eubages*, et corruptiſſimo Ὀυάγεις, Ὀυάτεις ſiue *Vates* legamus. Nimis temerarius eſt IO. SAVBERTVS, qui libro cetera eruditiſſimo *de ſacrificiis cap. VII. p. m.* 168. contra codicum probatiſſimorum fidem Diodorum et Strabonem ex Ammiano emendare ſtudet, atque pro Ὀυάτεις, Ἐυβάγεις legere mauult. Quod ſi etiam tueamur, minime corruptam eſſe in AMMIANO lectionem, atque ſic nouum Druidarum ordinem, *Eubagum*, inferamus, nihil hoc cauſae oberit noſtrae, modo illos Druidis dignitate minores, et in officiis ſubordinatos fuiſſe cum e-

E ruditiſ

ruditiſſimo noſtro MARTINO, *tom. I. pag.* 173. 201. contendamus. Horum vero officium non ſatis accurate a Druidarum officio CAESAREM diſtinxiſſe, non ſine ſtomacho queritur TAILLEPIED dans *l'hiſtoire de l'eſtat et de la republique des anciens François, Druides* cet. *lib. I. cap. III. pag.* 32. 33. „Vacies, inquit, les appelle Iules Ceſar, quand „il traite des Druides, aſſez confuſement neanmoins, et ſans aucun „ordre, n'attribuant à chaque ſecte, ce que luy appartenoit en par„ticulier: ce que je ſuppleray icy, et tirerois de ſon texte ce qui „n'implique de contradiction, et les mettray au net ſans confuſion, „a fin qu'on ne s'arreſte plus au chaos d'offices, qu'il a attribué a „nos Druides, quaſi comme s'ils ſe fuſſent meslez de tous meſtiers. Et poſtquam iſta non in odium CAESARIS, eiusque commentariorum (quos ob eruditionem et elegantiam laudat, atque ſe non ſine fructu adhibuiſſe teſtatur) ſcripſiſſe adſeueraſſet, ſequentem in modum pergit: „Comme il eſt vrayſamblable, ſon intention principa„le n'eſtant d'eſcrire l'eſtat des Druides Gaulois, ſi non qu'en paſ„ſant, quand il eſt venu a parler de ſes vaillantiſes, au lieu de met„tre qu'il avoit rompu le bel ordre, qui eſtoit entre eux et la Po„lice ordonnée, il a ſeulement remarqué ce que pesle mesle luy ve„noit a la fantaſie, ou bien que tout ainſi poſſible, que la Gaule de „ſon tems eſtoit ſans ordre, qu'auſſi l'a il deſcrite, comme elle eſtoit.

l) *La religion des Gaulois tom. I. pag* 177. *ſqq.* et *tom. II. pag.* 64.* vbi nouam plane Druidum appellationem e veteris cuiusdam monumenti Pariſienſis inſcriptione ſemet eruiſſe gloriatur. Deducit vocem *Senani*, ſ. *Senanes* a graeco Σεμνὸς, *venerabilis*, *reuerendus*, *ſanctus*, huc quoque referens Semnotheorum appellationem, de qua *ad not. b.* diximus. Gallorum illos Senanes idem comparat cum Indiae philoſophorum ſecta, quos CLEMENS ALEXANDRINVS Σεμνοὺς τῶν Ἰνδῶν vocat *lib. III. ſtromat. fol.* 539. edit. POTTERI. *Mais*, doctiſſimum audis Benedictinum, *ce qui nous fournit des grandes lumieres ſur une matiere ſi peu connuë, c'eſt, que parmi les Gymnoſophiſtes il y avoit une ſecte des philoſophes, composée auſſi-bien des femmes que d'hommes, qui portoient le nom des* Semnes, *qui étoit celui de* Senans *et de* Senes *des Gaules.* Aliorum eſto iudicium, num acu rem tetigerit noſter, dum inſtituta vtrorumque comparatione pro vna illos eademque ſecta vult haberi. Conferenda tamen, quae idem *pag.* 188. habet, vbi eos in rebus maxime fundamentalibus diſſentire pronunciat, certiſſime ſine

Digitized by Google

ſine dubio perſuaſus, vtrosque per omnia comparari non poſſe. Hoc mihi certum videtur et exploratum, eosdem eſſe Σεμνοὺς CLEMENTIS cum iis, quos *lib. I. ſtromat. fol.* 359. Σαμαναίους itemque Σαρμάνας vocat, de quibus POTTERVS ad *h. l.* et GVIL. SPENCERVS *ad Orig. contra Celſum pag.* 19. 20. videantur. De Senecionibus Scotorum, quos HERM. CONRINGIVS *praef. ad Tacit.* geminos facit cum noſtris illis maiorum Vatibus, nempe Bardis, ita vt idem de vtrisque iudicium ſit ferendum, euoluatur GE. BVCHANANVS *rerum Scot. lib. II.*

§. IV.

Inquirentibus nobis in primas Druidarum origines perquam difficile viſum eſt, certi aliquid adferre. m) Fabulis delectantur nimium, qui vel *Samothem*, n) vel *Tuiſconem*, o) vel *Druydem*, p) vel *Belenum*, q) vel *Fynnanum*, r) vel *Iſtaeuonem*, s) vel *Sarronem* t) pro auctoribus et inſtitutoribus habent. Omnium optime noſtro iudicio ſentiunt, qui ex vltima antiquitate illorum initia repetunt, ita tamen, vt nec auctorem nec tempus certum definiant. u)

m) Quae diximus, praeter complures alios, confirmat DICKINSONVS, quum tractationem de Druidis adgreſſus initio monet: *Quum nemo ſit, cuius aures eorum fama non perſonuerit, pauci tamen inueniantur, qui probe norint, quis auctor iſtius ſectae Philoſophorum, quae nominis ac religionis origo fuerit. l. c. pag.* 186.

n) Non ſine ſtupore video, tantae doctrinae virum, qualis modo laudatus mihi DICKINSONVS erat, adeo turpiter labi potuiſſe, vt, dum Samotheo Druidarum inſtitutionem tribuit, fabuloſas et plus quam aniles ANNII illius Viterbienſis impoſtoris naenias, ab IS. CASAVBONO *ad Laert. loco mox citando* dudum exploſas, ſuo calculo approbaret. Verba ANNII *pag.* 35. *a.* haec ſunt: „ Celtas ſ. „ Gallos Francigenas condidit Samothes. Samothes fuit frater Go- „ meri atque Tubalis ex Iapeto patre, a quo primum Britnes, inde „ Galli Samothei dicti fuerunt, et praecipue philoſophi atque theo- „ logi ſectatores eius. „ Finxiſſe fortaſſe putes ANNIVM ſuos Samotheos ex male intellecto Σεμνοθέων nomine.

 o) SCHE-

o) SCHEDIVM *pag.* 374. iſta tradentem eo minus miramur, quo plus conſtat, eum multae quidem lectionis ſummaeque induſtriae, ſed exigui admodum iudicii hominem fuiſſe.

p) ANNIVS Dryium et Dryiudem vocat, vbi *pag.* 55. *b. anno XXIX.* inquit, *apud Celtas regnat Dryius peritiae plenus.* Et mox: *ſupra retulimus, quid Caeſar de Dryiudis huius ſucceſſoribus ſcribat.* Eadem fere ratione FRANC. GVILLIMANNVS *de rebus Heluetior. lib. I. cap. V. pag.* 20. edit. GVNDLING. „Vetuſtiſſimi poſt diluuium reges, Samothes „tum Magus eius filius - - hunc Drys ſequutus, qui vt Cecrops „poſtea apud Graecos, Numa apud Romanos, homines a terreſtrium „et militarium ſtudio, ad caeleſtium et ſuperiorum, philoſophiae-„que meditationem tranſtulit, Druydumque ſectas inſtituit.„ Addendus his eſt AVENTINVS *annal. lib. I. fol.* 22. *b.* edit. Germ. Francof. 1580. cui SCHEDIVS iungit LVD. VIVEM, qui ad *lib. VIII. AVGVSTINI de ciuitate Dei cap. IX.* Druidarum quidem meminit, ſed ita, vt de origine illorum a Dryde repetenda taceat. Quae IO. PICARDVS *Celtopaed. lib. II. pag.* 58. hac de re nugatur, lubentes omittimus.

q) AVSONIVS apud SAVBERTVM *de ſacrif. cap. VII. pag.* 155. vbi haec: *Initia eorum ſi reſpiciamus, quidam a Beleno, i. e. Apolline, Noricorum deo, ſatos autumant. Auſonius in profeſſ. Burdigal. carm. IV.*

Tu Baiocaſſis ſtirpe Druidarum ſatus
Beleni ſacratum ducis e templo genus.

Conferatur de vocabulo *Baiocaſſis* SCHVRZFLEISCHIVS *opp. hiſtor. polit. pag.* 825. adde MARTINVM *tom. I. pag.* 388.

r) HECT. BOETHIVS *lib. II. hiſt. Scotor.* apud SCHEDIVM *loc. cit.* at *lib. I.* iuxta PVFENDORFIVM *pag.* 40. Verba BOETHII apud IAN. GRVTER in *chron. chronicor. polit. pag.* 402. haec leguntur: „Finnanus decimus a condito Scotorum regno ſummum obiuit magi-„ſtratum, Ioſinae regis anteceſſoris filius, religioni deuotus, Drui-„dibus Monam inſulam, vbi primariam ſacerdotii ſedem eſſe vo-„luit, erogauit: feliciter mortuus apud Berigonium ſepelitur, poſt-„quam triginta annos regnauerat.

s) MICRAELIVS aliique apud PVFENDORF. *l. c. pag.* 38.

t) MIDDENDORPIVS *de academiis lib. VI. pag.* 342. apud PVFENDORF. *pag.* 34.

u) Vt

Digitized by Google

u) Vt ſolent eſſe perobſcurae rerum etiam maximarum origines, vbi ob monumentorum defectum caliginoſa nocte cuncta premuntur, ſic cum veris Druidarum primordiis res ſe habet, vt neſciantur potius, quam definiri certa ratione queant. Non iam diſquirimus, qualis Germaniae philoſophorum fuerit origo, quum in ſequentibus de hoc diſſerendi locus remaneat, ſed ad quae tempora Druidiſmi referri debeant initia. IACOBVS MARTINVS, dum *cap. XXII. libri I. de la relig. des Gaul.* in antiquitatem Druidarum magno eruditionis apparatu inquirit, multum ex merito tribuit teſtimonio LAERTII, qui Druidas cum reliquis gentium barbararum philoſophis in eodem plane loco et honore collocat, quo iſti philoſophiae omnis, aetate ſequiori poſthac a Graecis excultae, parentes, auctores atque exempla habebantur. Τὸ τῆς Φιλοσοφίας ἔργον ἔνιοί φασιν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι. γεγενῆσθαι γὰρ παρὰ μὲν Πέρσαις Μάγους, παρὰ δὲ Βαβυλωνίοις, ἢ Ἀσσυρίοις Χαλδαίους καὶ Γυμνοσοφιστὰς παρὰ Ἰνδοῖς· παρά τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλουμένους Δρυΐδας καὶ Σεμνοθέους· κατά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ Μαγικῷ, καὶ Σωτίων ἐν τῷ κγ τῆς διαδοχῆς. h. e. *Philoſophiam, quod ad rem attinet, a Barbaris initia ſumſiſſe quidam autumant. Nam Perſis Magos, Babyloniis et Aſſyriis Chaldaeos, Indis Gymnoſophiſtas, Celtis et Galatis DRVIDAS et qui Semnothei appellabantur, eius rei fuiſſe auctores, ait Ariſtoteles in Magico, et Sotion in XXIII. de ſucceſſionibus libro.* Neque vero tantum LAERTII quam ARISTOTELIS potius atque SOTIONIS fidei tribuendum erit, qui ſaeculis aliquot ab aera chriſtiana remoti, ideoque multo antiquiſſimi, teſtimonium veritati, temporibus illis notiſſimae, et a nullo Graecorum, iactantiae ceteroqui pleniſſimorum, infringendae, omni exceptione maius dedere. His CELSVM addo, iuratum chriſtiani nominis hoſtem, qui antiquitatem religionis noſtrae ſanctiſſimae, a Iudaeis acceptam, deriſurus, parem religionis et ſapientiae Galactophagorum, Getarum et *Gallorum Druidum* vetuſtatem opponit. Etſi enim, prouti bene obſeruat ORIGENES, pater eccleſiae ob pietatem et doctrinam maxime venerabilis, *lib. I. contra Celſum pag.* 14. CELSVS haec non veraciter, ſed infenſo animo ſcribere videatur, σκοπὸν ἔχων κατηγορῆσαι τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστιανισμοῦ, ἠρτημένης ἀπὸ Ἰουδαίων, *vt cuius propoſitum ſit, criminari chriſtianae religionis, initia habentis a Iudaeis, originem*, ingens tamen pondus ad demonſtrandam Druidum antiquitatem maxime remotam, iſta CELSI verba addere, ſtatim ille videbit, qui vim argumenti, contra

 chriſtia-

chriſtianae religionis veritatem ducti, bene capit. Facile itaque, opinor, ex hactenus dictis conſtabit, eodem tempore, quo in orientis partibus philoſophiae barbaricae ſtudia floruere, etiam iis in terris, quae ſolem ſpectant occiduum, homines fuiſſe, qui magna itidem ſapientiae laude claruerunt. Num ab omni aeuo (ex quo nimirum terrarum orbis pars occidentalis inhabitari coepit) apud has gentes viguerint philoſophi, ſiue hominum ordo, nomine, ſtudiis, et vitae inſtituto a vulgo aliisque diſtinctus, qui Druides dicebantur, vt vult BVRNETIVS *archaeolog. philoſ. pag.* 340. alia quaeſtio eſt; quemadmodum et illa nondum extra omnem dubitationis aleam poſita videtur, vnde ſua hauſerint Druides, et num forte multa debeant Indorum Brachmanibus, aut hi ab illis ſuam philoſophiam didicerint, quo ſpectant illa, quae fuſe diſſerit MARTINVS *tom. I. pag.* 184. Ceterum illud mihi ſemper veriſimillimum viſum eſt, palmarias praecipuasque veritates, quas olim agnouiſſe Druidas poſtea dicemus, ex oriente, vnde omnis veri bonique cognitio, deriuandas, nulli vero genti aut ſectae philoſophantium ſingulari adſcribendas eſſe, quum ex vno fonte ſuam barbari, ſi qua dici meretur, ſapientiam omnes hauſerint. Riſum interea mouent prudentioribus conatus eorum, qui *Druidas* noſtros PYTHAGORAE *diſcipulos* inepte venditant, ne maximae ſcilicet ſapientiae gloria, ab illo Graecanicae philoſophiae parente vnice deriuanda, illis deſit. Tam falſum autem hoc eſt, quam inſipidum iam olim eſſe iudicauit CICERO *Tuſcul. quaeſt. lib. IV. n.* 1. et *de oratore lib. II. num.* 37. eorum laborem, qui NVMAM ſapientiſſimum Romanorum regem inter Pythagoraeos referebant. Vide *noſtram*, ſi tanti eſt, *diſſert. de initiis eruditionis apud Romanos ſect. I. §. VIII.* Breuiter et bene proinde STEPH. FORCATVLVS de hoc argumento ſcribit, quando ait: *Ceterum cuilibet vel modice perſpicaci patebit, Druidas philoſophatos plus mille annis ante, quam eruditio Pythagorae, qui primus nomen philoſophi ſibi adſumſit, innotuiſſet in Italia; de Gallor. imperio et philoſophia pag.* 41. Eapropter non valde miror, tam multos illam de Pythagora, magiſtro Druidum, opinionem et priſcis et noſtris temporibus habuiſſe patronos, ſiquidem, vt CICERONIS ore loquar, *l. c. multa ſaecula poſtea ſic viguit Pythagoraeorum nomen, vt nulli alii docti viderentur.* Grauiter ita lapſi ſunt e veteribus DIODORVS SICVLVS *lib. V.* AMMIANVS MARCELLINVS *lib. XV. cap. IX.* VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap. VI.* PSEVDORIGENES *philoſophum*

cap.

cap. XXV. pag. 170. quos e recentioribus ſequuti magni nominis viri, vt SELDENVS *analect. Anglo-Britannic. pag.* 882. *ſq.* BROWERVS *antiquit. et annal. Treuirenſ. tom. I. proparaſceues cap. XI. pag.* 28. SCHEFFERVS *de philoſ. Italic. pag.* 18. SCHILTERVS *fol.* 17. *praef. ad gloſſar. Alamannic. tom. III. theſauri antiq. Teutonic.* IO. RELLICANVS *annotat. in Caeſar. de bello Gall. VI.* 14. *pag.* 40 *edit. Caeſaris Iungermannianae.* WOLFIVS *ad Orig. philoſ. l. c.* aliique. Dubitanter loquuntur LIPSIVS *phyſiolog. Stoic. lib. III. diſſ. XII. p. m.* 172. et EZECH. SPANHEMIVS *pag.* 303. *commentar. ad Iuliani caeſares edit. primae.* Rectiora hos omnes edocere potuiſſet locus CLEMENTIS ALEXANDR. *ſtromat. lib. I. fol.* 357. *ſq.* vbi teſtimonium profert ALEXANDRI POLYHISTORIS, ex eius libro, *de ſymbolis Pythagoricis*, *ἀκηκοέναι τε πρὸς τούτοις Γαλατῶν καὶ Βραχμάνων τὸν Πυθαγόραν βούλεται*, i. e. *vult praeterea* (Alexander) *Pythagoram Gallos audiuiſſe et Brachmanes.* Adſtipulatur BVRNETIVS *l. c. pag.* 341. clariſſimus GVIL. IRHOVIVS libro eruditiſſimo *de palingeneſia ſ. metempſychoſi veterum lib. I. cap. II. §. 6. pag.* 20 et MARTINVS *de la relig. des Gaul. tom. I. pag.* 184. 189. *tom. II. pag.* 220. quibus et nos lubentes ſubſcribimus.

§. V.

Nonniſi in terris occidentalibus Druidarum quaerendam eſſe patriam, ex hactenus dictis conſtat. Iam porro demonſtrabimus, nomen illorum ac diſciplinam, ante quam in Galliam Germaniamque tranſirent, in Britannia viguiſſe primum, et cum aliis poſtea fuiſſe communicatam. x)

x) Quum ex antiquorum teſtimoniis pateat, Britanniae veteris ſtatum adeo incognitum ipſis fuiſſe, vt velut nouum orbem illam inſularum reginam conſiderauerint, quemadmodum probatum dedit KEYSLERVS *antiquit. ſeptentrion. et Celtic. pag.* 285. *ſq.* nihilque certum compertumque tradere de illa ſint auſi, nemo non videt, periculoſae plenum eſſe opus aleae, ſi quidquam circa Druidarum inter Britannos degentium origines tentaremus. Notae ſunt Romanorum, de inſufficienti rerum illius inſulae notitia, quaerelae, qualis illa VIRGILII *eclog. I.*

Et penitus toto diuiſos orbe Britannos:

et TACITI *vit. Agricolae cap. XI.* vbi, *ceterum*, inquit, *Britanniam, qui mortales initio coluerint, indigenae an aduecti, vt inter barbaros, parum compertum.*

pertum. Venerabilis BEDA *hiſtor. eccleſ. gentis Anglor. lib. I. cap. II. fol.* 4. edit. Antuerp. 1550. teſtatur: *Britanniam Romanis vſque ad C. Iul. Caeſarem inacceſſam atque incognitam fuiſſe.* Immo habemus fatentem ipſum CAESAREM *lib. IV. cap. XX. de B. G.* „Britanniae omnia fere „non Romanis tantum, ſed ipſis etiam Gallis fuiſſe incognita; ne„que enim temere, praeter mercatores, illo adire quemquam, ne„que iis ipſis quidquam, praeter oram maritimam, atque eas regio„nes, quae ſunt contra Galliam, notum eſſe.„ Idem vero imperator adſerit, *Druidum diſciplinam in Britannia eſſe repertam; de B. G. lib. VI. cap. XIII.* Quo autem tempore, et a quo illa ſit inſtituta, noſtri non fert inſtituti ratio multis diſquirere. Neque tamen omittenda puto cogitata HASAEI, quando, *venerint*, inquit, *Druides e Britannia primum in Gallias, neque tamen id impedit, quo minus antea ex ipſa Germania delati ſint in Britanniam l. c. pag.* 631. Legat, qui narratiunculis aura leuioribus animum paſcere conſueuit, HECTORIS BOETHII ſomnia de Fynnano, Scotorum rege, Druidum inſtitutore, apud SAVBERTVM *l. c.* neque tamen obliuiſcatur verborum GVNDLINGII, *pag.* 421. *colleg. hiſt. litter.* ita iudicantis: *qui cupit legere hiſtoriam fabuloſam regum Scotiae, legat Boethium.* Legat, naſoque ſuſpendat adunco fabuloſiſſimam Dryidis et ſucceſſorum ſtemmatis recenſionem, a IO. LEWIS in *hiſtoria magnae Britanniae,* (nuper Anglice per THOMAM TWYNE Londini 1729. fol. euulgata) inſtitutam, excerptamque in *bibliotheq. raiſonnée des ouvrages des ſçavans de l'Europe tom. IV. pag.* 363. Antiquiſſimos ſane fuiſſe Druidas, Britannorum in ſtatu gentilitio doctores, theologos atque philoſophos, et longe celebratiſſimam eorum diſciplinam, neminem excitatus CAESARIS locus dubitare ſinit; quidquid etiam in eius emendationem aut ſaltim limitationem eruditos homines, et Gallos maxime adferre videas. Conf. AEGID. BVCHERII *Belgium Romanum lib. V. cap. IV. §. 7. pag.* 160. *ſq.* itemque *l'hiſtoire literaire de la France tom. I. pag.* 11. Vnde DICKINSONVS *l. c. Druidis*, ait, *ſane Britannia nihil habet celebrius, nihil, quod oſtentet, antiquius.* Latius haec breuiter a nobis dicta, et ſtupendae copia doctrinae explicauit Anglorum etiam poſt fata maximus, aeternaque laude digniſſimus, IOANNES SELDENVS in incomparabili *analector. Anglo-Britannicorum* opere, quibus ea maxime, quae ad ciuilem illius, quae iam Anglia dicitur, magnae Britanniae partis adminiſtrationem, res domi publicas, ſacras, profanas cet. attinent,

ex

Digitized by Google

ex antiquis ſimul et neotericis depromta, temporum iuxta ſeriem digeſta hiſtorice et arctiſſime componuntur. Exſtant illa in magnifica *operum* eius editione, quae ſupra mihi laudata eſt, *volum. II. tom. II. fol.* 861. *ſqq.* Nec tacendus hic erit famoſiſſimus, dum viueret, inter Anglos, IOANNES TOLANDVS, cuius *de religione atque eruditione Celtarum hiſtoriae criticae ſpecimen* exſtat in *collectione variorum opuſculorum*, quae poſt mortem illius prodiere *Londini* 1726. 8. *duobus voluminibus.* Quantum ex recenſione in ACTIS ERVDITORVM *ad ann.* 1729. *pag.* 356. *ſqq.* data conſtat, primas hoc ſpecimine lineas ducere TOLANDVS voluit ſubſequuturae mox plenioris Druidum hiſtoriae, cui ſcribendae prae ceteris aptus, ex iis, quae prodromus continet digniſſima lectu, videbatur. Quum etiam inſula Mona, Britanniae adiacens, priſca fuerit ac praecipua Druidum Britannorum ſedes, vbi academiam quaſi ac ſeminarium habuiſſe dicuntur, euoluendus erit HENRICVS ROWLANDS in *commentatione archaeologica, de antiquitat. natural. et hiſtoricis inſulae Angleſegae ſ. Monae, priſcae ſedis Druidarum Brit.* Anglice ſcripta, et recenſita in ACTOR. ERVDITOR. SVPPLEM. *tom. IX. pag.* 412. *ſqq.* Diligentia certe laudatiſſima pertractauit iſta auctor, multaque praeclariſſima de Britanniae non tantum Druidibus, ſed etiam Hiberniae ac Scotiae (de quibus GE. MACKENZIE *defenſio antiquitatis regalis Scotorum proſapiae*, LLOYDIO et STILLINFLEETO oppoſita *cap. II.* euoluenda) in medium protulit.

§. VI.

Ex Britannia in Galliam translata eſſe recte, y) non obſtantibus aliorum rationibus, z) quae contrarium ſuadere poſſent, exiſtimatur. Illa Druidum diſciplinae celebratiſſima ſedes erat, vnde late illius per orbem fama exiit, atque vnde poſtea Germani acceperunt. aa)

y) Cum CAESARE *de bello Gallico lib. VI. cap. XIII*, vbi, *diſciplina*, inquit, *in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata eſſe exiſtimatur. Et nunc, qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illo, diſcendi cauſa, proficiſcuntur.* Quum de Druidis data opera CAESAR hoc in loco agit, ex quo tamquam fonte praecipuo reliqui ſua fere omnia hauſere, non ſuas de illis opiniones legentibus obtrudit, ſed quid vniuerſa crediderit Gallia, pulcre docet. Diligens et accurata hu-

ius argumenti pertractatio vnumquemque, qui curatius eam euoluit, conuincet.

z) TACITI *vit. Agric. cap.* XI. et PLINII, initio *lib.* XXX. *cap.* I. qui videntur ſignificare, Druidum diſciplinam ex Gallia in Britanniam tranſiuiſſe. Vid. IO. GLANDORPIVM *annot. in CAES. l. c. pag.* 144. edit. Iungermann. Priorem nempe TACITVM cum CAESARE ita componere ſtudet ſollertiſſimus Druidiſmi Gallici indagatur MARTINVS *tom. I. pag.* 12. *ſqq.* vt Gallos primum quidem Britanniam inhabitaſſe per colonias illuc deductas, et ſacrorum etiam religionem tranſtuliſſe fateatur, eosdem tamen Gallos neceſſe habuiſſe ſimul inferat, vt de ſimplici priſcae fidei puritate, quam per varios bellorum caſus, ſuſceptasque coloniarum translocationes, ſenſim ex animis perdiderant, a Britannis iterum edocerentur, apud quos caſtiſſima ſacrorum ſemel acceptorum puritas incorrupta ſeruabatur. Confer eumdem *pag.* 15. 16. Inde eſt, quod antiquiores Gallorum ſcriptores contra CAESAREM negent et pernegent, maiores ſuos a Britannis omnem eruditionem et religionis diſciplinam petiiſſe, atque illam tantum Britanniam ab ipſo (niſi contradicere ſibi velit) intellectam omni niſu contendant, quae hodie regni prouinciam ad latus Britanniae maritimum ſitam conſtituit, et Minor Britannia (la Bretagne) vocatur. Quin et eo vſque procedunt, vt Gallis, ſi non ſacrarum rerum, legum certe ſtudia Britanniae Magnae incolas debere adſerant. Poſt GVIL. MARCELLVM, cuius cogitata, *tomo I. de l'hiſtoire des Gaules cap. VI.* exſtantia, paucis refert TENZELIVS in *monatlichen Unterredungen ann.* 1689. *m. Iul. pag.* 714. audiatur ex multis TAILLEPIED *part. I. pag.* 83. 84. 85. „Ceſar nous „veut faire a croire, que les Gaulois de ſon tems ſe transportoient „en Bretagne pour apprendre le droict civil, ce qui n'eſt vraiſem„blable, car luy-meme dit que, *humani iuris erant peritiſſimi.* (at haec „in CAESARE non lego) Secondement, comment auroient ils ap„prins le droict par l'inſtruction des eſtrangers, et principalement „de ceux de Bretaigne, que la Bretaigne leur eſtoit incognüe, cel„le dis je, que nous appellons aujourdhuy Angleterre? - - - Et „pour ne mettre contradiction aux paroles de Ceſar (vide loca not. „x) et y) antea producta) il faut noter, que la Bretaigne, diviſée en „deux, a ſçavoir en Bretons Gaulois et Bretons tonnans, lesquels „ont l'ancien idiome et langage Gaulois, comme affermoit Guil-

„laume

laume Poſtel, homme d'eminente literature - - - car, diſoit il, „ les Gots, Viſigots, et Oſtrogots vindrent en ce pais, qui firent par „ leur felonie fuire les Gaulois juſqu'es confins de la mer, ou ils ſont „ encores de preſent. „ Quis non aetates gentium confundere turpiter POSTELLVM miretur, aut, qui eum non recte cepiſſe videtur, TAILLEPIED, qui et ita pergit: „ Meſmes que devant le temps „ de Iules Ceſar, les gens doctes s'eſtoient pour la plus part retirez „ vers les quartiers de la petite Bretaigne, a fin d'eſtre quiets en leurs „ eſtudes: et a eux envoyoit on les jeunes enfans abecedaires pour „ leur apprendre leurs rudiments de civilité. Ceux de la grande „ Bretaigne n'ont point apprins les lois a nos Gaulois Druides, mais „ pluſtoſt les Bretons Abbions ou Anglois, ont apprins des noſtres, „ ainſi que confirme le Poete ſatyrique d'Aquin, (Iuuenale) diſant: „

Gallia cauſſidicos docuit fecunda Britannos. „

aa) CAESARI debetur prima, partae Druidarum nominis inter Romanos famae, gloria, a quibus deinceps ad alias quoque gentes tranſiit. Certe quae de Druidis ſcripta euoluimus, fere omnia de Gallorum Druidis agere vnice propterea ſumus mirati, quod et Britanni ſuos habuerint et Germani Druidas, quibus itidem multae celebritatis honor minime deerat; horum etiam meminiſſe operae pretium omnino fuiſſet.

§. VII.

Germanos, qui ſub vno Celtarum cum Gallis nomine quondam comprehendebantur, bb) ſuos etiam habuiſſe Druidas ſiue ſacerdotes atque philoſophos, extra omnem poſitum eſt controuerſiam. cc) Poſtulant aſſenſum clariſſima veterum dd) loca, ex quibus mira vtriuſque populi ſacerdotum, et rerum, ad religionem et philoſophiam, quae Druidum curae vnice relinquebantur, ſpectantium conuenientia elucet. ee) Quando vero in Germaniam venerint, iuſte definiri nequit. ff)

bb) Res inter antiquos dudum teſtatiſſima, magnumque theſi noſtrae robur addens, eosdem re ipſa, ſi non nomine, vtrorumque fuiſſe Druidas: Vid. ſupra prolegomen. *§.* XII. *not.* 21.

cc) Valde quidem dubium eſſe, an vmquam Germani habuerint Druidas, autumat clar. C. G. HALTAVS *calendar. medii aeui pag.* 142.

142. Sed cum CAESARE, qui e veteribus expreſſe *lib. VI. cap. XXI.* negat, *Germanos Druidas habere*, e recentioribus faciunt plures, ſigillatim CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS *diſſ. de veterum inſtitutis Druidum, opp. hiſtor. polit. pag.* 832. *ſq.* eapropter modeſte confutatus ab HECHTIO *pag.* 38. *German. ſacr. et litter.* et nuper a CHRISTOPH. AVGVSTO FABRETTO (ſi modo verum nomen eſt) erudita *diſquiſitione, an Germani Caeſaris Tacitique temporibus Druides habuerint*, inſerta *tomo III. bibliothec. Lubecenſ. pag.* 24. *ſqq.* porro G. G. LEIBNITIVS *epiſtolar. ad diuerſos tom. I. epiſt.* 230. *pag.* 422. cel. WACHTERVS *gloſſar. Germ. tom. I. fol.* 120. voc. *Bardi*, et *fol.* 311. voc. *Druiden*, itemque CALVOERIVS in *Saxonia inferiore antiqua et gentili part. I. fol.* 70. *§.* 154. quem poſtremum quidem ſpecioſe omnino hanc in rem diſſerere, negari non poteſt, ſed ita fortibus, vt neceſſe erat, argumentis pugnare non arbitramur. Temere enim omnino prouocare videtur ad diuerſos Celtici regni ritus, quos tamen probatos non dedit, atque vnos potius eosdemque fuiſſe ſcriptorum plurimi diſerte teſtantur; tum et ſollicitare praeter rem ALEXANDRINI fidem CLEMENTIS, quaſi nimium a terris occidentalibus remoti, et ſibi fortaſſis ipſi non conſtantis, quem tamen falſi conuincere eo difficilius fuerit, quo luculentius aliorum conſenſus dictis illius robur conciliat. Demus etiam, per *Druidas* atque *Semnotheos*, LAERTIO commemoratos, non alios, quam, quos vult, *Deorum cultores aut ſacrorum miniſtros* intelligendos eſſe, quam tamen nominum iſtorum ſignificationem noſtram plane non facimus, quinam erunt tandem illi, cuiusue generis homines alii praeter Druidas, quos ſacris Celtarum non tantum prae aliis forte, ſed vnice operatos fuiſſe quis inficiabitur? Andabatarum itaque more pugnare fere nobis videtur vir doctus, id ſimpliciter negans, quod verum eſſe nolebat, et inſuper TACITVM in ſententiae, vel coniecturae potius, ſuae ſubſidium vocans, quaſi nulla apud illum Germanorum Druidarum facta mentio fuiſſet. Atqui vero contrarium luculenter oſtendit vir clariſſ. IVST. CHRISTOPH. DITHMARVS, et TACITI CAESARISque loca non minus ſcite componit, quam vere, *Druidas apud Germanos aeque ac Gallos exſtitiſſe*, pronunciat *pag.* 329. *ſylloges diſſ. acad.* Ibi enim *adnot. f.)* induxiſſe quidem CAESAREM multos fatetur, vt idem cum ipſo crediderint, at vero ſimul conferre quoque inter ſe iubet, quae CAESAR *lib. VI. de B. G. cap. XIII.* de Druidibus Gallorum prolixe commemorat, cum iis, quae TACI-

TVS

TVS de ſacerdotibus Germanorum *cap. VII. et XI. de M. G.* refert, et gemina prorſus inuicem eſſe iudicat, tum et eadem ſacra habuiſſe Gallos et Germanos ex collatis TACITI *l. c. cap. IX.* atque CAESARIS *lib. VI. cap. XVII.* dictis patere credit, recte denique noſtro iudicio addens: *quidni itaque eosdem quoque ſacerdotes?* Conferatur etiam omnino, quem idem vir doctiſſimus allegat, PHIL. CLVVERIVS *German. antiq. lib. I. cap. XXIV.*

dd) TACITI *de moribus Germanorum cap. VII. X. XI.* STRABONIS *geograph. lib. IV.* DIOG. LAERTII *prooem. vit. philoſophor. ſegm. I.* cet. Placent hic verba cel. B. G. STRVVII in *notit. Sueuiae antiq. pag.* 31. *§. XLVII.* inquientis: „An Germani, et ſic etiam Suevi noſtri„ Druides habuerint, controuertitur adhuc, maxime quum Caeſar„ Druidas apud Germanos fuiſſe diſerte neget. Aſt ſalua res eſt; „ qui enim circa Deos et ſacrificia Germanorum non leuiter errauit,„ non potuit non circa ſacerdotes eorum enormiter quoque labi.„

ee) Superſedere poſſumus labore, parallelismum inter Druidas Gallorum et Germanorum inſtituendi, quum otium nobis fecerint HECHTIVS et FABRETTVS, modo laudati. CAESAREM non moramur, quem hoc in negotio falſum eſſe praeter SCHEDIVM *pag.* 371. agnouit illuſtriſſimus dominus DE BÜNAV in *der Teutſchen Kayſer- und Reichs-Hiſtorie vol. I. pag. 66.* cui merito excellentiſſimum iungimus MASCOVIVM in *den Geſchichten der Teutſchen pag.* 50. qui TACITO plus hic fidendum quam CAESARI eam maxime ob cauſam putat, quod ille in rerum Germanicarum notitia hunc multum ſuperarit. Ex eo vero, quod Druidarum nomen non expreſſerit TACITVS, nihil ſequitur; quum eam quidem appellationem Germanos non admiſiſſe, rem autem ipſam diligenter tractaſſe ita clare, vt nemo poſſit inficiari, demonſtrauerit. Adſtipulantur GVNDLINGIVS *hiſt. phil. mor. pag.* 50. et HEISENIVS *de eloquent. veter. Germanor. pag.* 124. 156.

ff) DICKINSONVM non mirabimur, qui *pag.* 192. iam olim ſub Hermione, Germanorum poſt Abrahami mortem rege, collegia Druidarum floruiſſe cum aliis nugatur. Nec audiendum putamus AVENTINVM, qui idoneis deſtitutus teſtibus adſerit, Druidas, Gallorum philoſophos et vates, quos Tiberius imperator exegit omni Gallia, ſucciſa eorum ſilua, ipſos in Germaniam trans Rhenum demigraſſe. *Annal. lib. II. in Tiber.* Neque admittimus FRANC. IRENICVM,

Digitized by Google

qui *exegeſ. German. lib. II. cap. IX. fol. m. 55.* Germanorum magis quam Gallorum ſacerdotes fuiſſe Druidas autumat. Nec probanda cenſemus, quae CONR. CELTES in *deſcriptione Noribergae* apud BILIBALD. PIRCKHEIMERVM *opp. fol.* 123. et IO. RELLICANVM *not. in Caeſ. ad h. l. pag.* 40. (vbi prolixum excerpſit locum) ſed ſine teſtibus, profert, nempe pulſos a Tiberio caeſare Druidas in Germaniam conceſſiſſe, atque ſub Carolis, Arnolphis et Ottonibus, chriſtianam religionem interpretantes, totam Hercyniam occupaſſe. Nec noſtram facimus ſententiam CLVVERII, qui verba DIOG. LAERTII initio *prooem.* παρά τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλουμένους Δρυΐδας εἶναι φασὶ ſic interpretatur: *apud Germanos quoque et Gallos eſſe aiunt, qui Druidae appellantur*, ſtatimque addit, vehementer ab interprete erratum, qui verterat, *apud Celtas ſiue Gallos*, quum Germanos per Κελτοὺς intellexerit auctor, Gallos vero per Γαλάτας. *Germ. antiq. lib. I. cap. XXIV. fol.* 167. Sed, etſi de Celtarum nomine facile largiamur, commune olim vtriſque fuiſſe, quod etiam ſupra euicimus, dubium tamen remanet, an DIOGENES hoc loco vtramque gentem nominare voluerit, quemadmodum VLR. OBRECHTO videtur *diſſ. de philoſ. Celtica p. m.* 271. an vero Gallos proprie dictos tantum ſubintellexerit? Nec adſtipulamur H. L. SCHVRZFLEISCHIO *notit. biblioth. Vinar. pag.* . coniectanti, Druidas temporibus demum Clodouaei a Germanis receptos eſſe, poſtquam rex iſte, deuictis in Gallia Romanis, atque ſublata cum ipſorum imperio religione gentili, introductaque in eius locum chriſtiana, ſolum iſtos ſacrificulos et philoſophos ethnicos vertere coegerit; a qua etiam ſententia haud procul abeſſe videtur cl. BVRCKHARDVS *de fatis linguae Lat. in Germania part.* II. *pag.* 13. *ſq.* Tutius verſari nos poſſe credimus, ſi a dubiis veterum locis in adſertione cauſae per ſe clariſſimae prorſus abſtineamus. Illud igitur, ſaluo aliorum iudicio, adfirmamus, certum originis Druidarum in Germania (quemadmodum et in Britannia et Gallia) tempus definiri non poſſe, *quum*, vti bene monet HECHTIVS *l. c. pag.* 34. *nullum eius rei teſtimonium apud ſcriptores, qui de Druidis aliquid memoriae prodiderunt, exſtet.* Num aliquid tribuendum ſit monumento Zwickauienſi, tabulae nimirum plumbeae, noſtris temporibus effoſſae, quibus verba: Δυρβαλεῖς Δρουιδῶν Μέγιςος, inſcripta fuiſſe teſtatur SCHVRZFLEISCHIVS *diſſ. de Iuterboco* §. 7. alii videant. Conf. EGENOLFFI *Hiſt. der Teutſchen Sprache part. II. pag.* 192. it. DN.

DE FALCKENSTEIN *antiquitates Nordgauienſes fol.* 109. Veri ſimile interim eſſe exiſtimamus, iam Caeſaris et ſuperioribus paullo temporibus Druidiſmum, licet non nomine, re ipſa tamen ibidem viguiſſe; id quod ex hactenus dictis abunde patet.

§. VIII.

Quae de Druidum auctoritate atque poteſtate, iuribus ac priuilegiis, ſacrorum adminiſtratione, habitu, regimine, collegiis, praeſule ſupremo, ſcholis, diſcipulorum inſtitutione, nec non de Druidiſſis, feminis olim fatidicis, auctoritate maxima inter Gallos Germanosque conſpicuis, aliisque, bene multa poſſent addi, legantur apud eos, qui magna hoc argumentum induſtria pertractarunt. gg)

gg) Ante omnes CAESAR euoluendus erit, cui addendus TACITVS, aliique veterum, ſaepe nobis appellati. E recentioribus SCHEDIVS inprimis conſulatur, itemque clariſſimus IO. GEORG. KEYSLERVS, in *antiquitatibus ſelectis ſeptentrionalibus et Celticis*, exquiſitiſſimae doctrinae opere, vbi tam de Druidis, quam Druidiſſis potiſſimum, ſiue mulieribus fatidicis veterum Celtarum gentiumque ſeptentrionalium, longe doctiſſime commentatur. Video tamen aliquid deeſſe noſtrae de Druidis tractationi, niſi ſchema quoddam pictamue illorum imaginem legentium oculis ſubiiciam. Duplicem igitur tabulam videbunt lectores mei, alteram in fronte commentationis noſtrae poſitam ex aduerſa tituli parte, alteram ad latus *pag* 49. exhibitam. Vtramque depromſi ex praeſtantiſſimi operis Gallicani ſaepe iam citati *tomo* I. *pag.* 212. et 217. aerique ſatis quidem eleganter ac nitide, vti puto, incidendam curaui, vt pleniorem habeant ac perfectiorem de Druidis, Celtarum philoſophis, ideam, qui et patriis delectantur antiquitatibus, et magni pretii librum, cui debentur iſta, ſibi propter varias rationes comparare non omnino valent.

Tabula I. duo continet antiqua operis anaglyphi (quod Galli *Bas relief* vocant) monumenta, quorum ſuperius aeneum in agro Narbonenſi caſu inter arandum repertum, Druidam iuuenem oſtendit, imberbem, pallio inuolutum, tunicaque ad pedes protenſa veſtitum, cuius caput ſinuoſo pallii flexu, qualem fere Romanorum olim ſacrificulos geſtaſſe nouimus, contegitur, frontem autem cingit faſcia in coronae ſpeciem, quae fortaſſe quernea quum eſſe deberet, vel

vetuſtate

Digitized by Google

vetuſtate attrita, vel minus bene ſculpta, imperitam artificis manum oſtendit. Inſuper manu dextra pateram, inſtrumentum in ſacrificiis adhibitum, tenet, ſiniſtra ſceptrum, cornucopiae haud abſimile, cuius pars ſumma ſeſe findens, ſuper duobus extremis lunulam habet impoſitam, qualis eſſe, quum creſcit, die ſexta ſolet. Quemadmodum vero ſceptrum ſummae Druidum auctoritatis ac poteſtatis, qua ſuper reges etiam et principes eminebant, indicium eſt; ſic ex hoc potiſſimum monumento eruditi obſeruant, viros etiam iuuenes, Druidarum diſciplina innutritos, ad ſplendidum ſacra faciendi munus olim apud Celtas fuiſſe admiſſos, et viam ad maximam praeſulatus ſupremi dignitatem iunioribus aeque ac ſenioribus patuiſſe, ita vt filius nonnumquam patri datus ſit ſucceſſor, quod tamen poſtea demum obtinuit, vt intra certam familium ius iſtud ſubſiſteret, prouti latius haec, ſi huius loci eſſent, deduci poſſent. Conf. FABRICII *bibliogr. antiquar. pag.* 447. Luna creſcens diſciplinae ſignum eſt, cuius haud vltimam partem aſtrorum lunaeque diligentiſſimam obſeruationem fuiſſe ex ſequentibus deprehendemus. Inferius tabulae I. monumentum lapideum Auguſtoduni, (a *Autun*) celebri Burgundici Ducatus vrbe, effoſſum, duos exhibet Druidas ſenes, multo elegantiſſime atque ita depictos, vt viuere alterum illorum fere putes. Qui coronam in capite gerit iligneam, princeps forte Druidarum eſt, cuius CAESAR meminit *lib.* VI. *cap.* 13. *de B. G.* cuiusque ſuprema poteſtas ſceptro in manibus conſpico manifeſte declaratur: reliqua, vt auguſtus ſimplici grauitate ac venerabilis vultus, barba ſenili aetati conueniens valdeque decora, elegans ſtaturae proceritas, veſtiumque haud valde diſſimilis a ſuperiori ratio, ſanctitatem officii ſummam ac inuiolabilem aperte prodit. Adſtans Druidarum alter, gradu priori inferior, nec ſceptrum habet, nec coronam, e quercuum foliis contextam, ſed creſcentis lunae ſignum dextra prehendit, cuius rei ratio e *§.* IV. *capitis ſequentis* petenda erit. Adde MONTFAVCON *l'antiquité expliquée tom.* II. *part.* II. *lib.* V. *cap.* VI. *§.* 3. *pag.* 436. *ſq.* vbi idem deſcribit monumentum ſingulare Druidarum, ſacris ornatorum veſtibus, his verbis: „Eorum quae Plinius „hic enarrat partem non minimam mire expreſſam in anaglypho „Auguſtodunenſi cernimus, quod anaglyphum exhibitum fuit in li„bro AVBERII, de antiquitatibus Auguſtodunenſibus. Hic liber „ignotus paene omnibus eſt, quia ipſo auctore defuncto, poſtquam

„primum

Digitized by Google

DRUIDES ET DRUIDISSAE



Digitized by Google

primum librum, partemque ſecundi typis dederat, cuſa omnia fo-,, lio diſſipata ſunt, ita vt etiam vir ille Auguſtodunenſis, qui iſt-,, haec folia mecum communicauit, ſignificauerit, hoc ſolum exem-,, plar nunc exiſtere. In hoc anaglypho hinc Druida viſitur, quer-,, nis foliis coronatus, quod vtique cum iis, quae Plinius modo di-,, cebat (nempe hiſt. nat. lib. XVI. cap. 44. vbi locum exhibet) ap-,, prime conſentit, nempe Druidas ſine ea fronde nulla ſacra confi ,, cere. Eſt autem vti videtur ſacrificus, et fortaſſe Druidarum prin-,, ceps, de quo ſupra Caeſar, qui tantam in Druidas haberet auctо-,, ritatem, ſceptro, quod prae manibus tenet, ſignificatam. Alter,, Druida, ad huius latus, non quernis foliis coronatur, ſed manu,, dextra tenet bicornem lunam, qualem ſexta die lunae videmus,,, id vero tam perfecte conuenit cum ſcrupuloſa illa Druidarum re-,, ligione, ne viſci ceremoniam alia quam ſexta die lunae celebra-,, rent, vt nihil dubii ſubſit, quin luna hic bicornis, vt eſt ſexta die,, lunae, ad hunc Druidarum ritum reſpiciat. Druidarum ſecta a-,, ſtronomiae admodum dedita erat; et quia illa ſexta dies prae o-,, mnibus ad viſci caerimoniam requirebatur, ante omnia aſtrono-,, mus Druida hic bicornis lunae figuram geſtat ea magnitudine, qua,, ſexta die luna debet eſſe, vt ſignificet, iam illam aduenisse diem.,, Hanc explicationem monumenti huius, hactenus paene ignoti, a,, paucis in controuerſiam vocatum iri puto.,,

Tabula II. ſiue minor Druidas oſtendit mares, vnamque ex feminis Druidiſſis aut Dryadibus, quemadmodum a VOPISCO in *Numerian. cap.* XIV. vocantur, quarum propter vaticinia diſciplinamque auguralem magnum itidem nomen olim Celtas inter erat. De viris nihil dicemus, quum eorum habitum antea explicauerimus, (de quo et LESCALOPERIVS *cap.* XVIII. videndus) ſed tantum monemus, ſex eorum videri hic ſtantes, nudis pedibus vnum, et quinque reliquos calceis indutos, quorum certe figura haudquaquam quinquangularis deprehenditur aut lunata, prouti vult SCHEDIVS *pag.* 411. *de Diis Germ.* Tantum igitur de feminis, quae vtrumque latus claudunt, agere libet. Harum alteram nudam, lector, conſpicis, quae paſſis ſuper humeros crinibus vtraque manu ſerpentes, pedibus eius corporique circumuolutos, mammis applicans, videtur eſſe Luna Dea, Herodias, Benſozia, et Nocticula quomdam dicta (cuius explicationem et illam ipſam imaginem vide *tomo* II. *de*

la relig. des Gaul. pag. 59. 65.) ab EVSEBIO, IVLIO FIRMICO et MACROBIO ita deſcripta, tantique a Druidiſſis habita, vt nihil ſupra. Altera feminarum vna eſt ex illis fatidicis Celtarum matronis, quae, cirros decuſſatim implexos ac pendentes ab humeris habens, thoracem cum tunica more Gallicano confectum, manicasque paullo contractiores cum chirothecis geſtans, priſcam veſtitus rationem Druidiſſis adhibitam declarat. Qui aliam illarum effigiem praeter hanc, quam exhibuimus, videre deſiderat, is KEYSLERVM euoluat *pag.* 394. vbi tres vno in loco pictae occurrunt.

CAPVT II.

De Druidarum philoſophia.

§. I.

NVnc tandem ad ipſam Druidarum philoſophiam progreſſuri, quae generatim eius fuerit ratio, a) quaeque illam tractandi methodus, b) ante quam ad ipſam dogmatum ſingulorum euolutionem ire nobis licet, paucis inueſtigabimus.

a) Quum Druidarum philoſophiam in praeſenti expendere animus nobis eſt, repetere ex iis, quae ad §. VII. prolegomen. diximus, iuuabit, non ſtricta, ſed latiori ſignificatione vocabulum a nobis ſumi, ita, vt omnem eruditionis barbaricae ambitum complectatur. Quam igitur Druidum philoſophiam dicimus, eamdem eſſe cum eruditione, ſ. cognitione plurium veritatum bonae frugis pleniſſimarum accuratiori, multumque a cognitione vulgi rudiori diſcrepante, putamus. Huc refer in genere PAVL. HACHENBERGII diſſ. *de ſtudiis veterum Germanor.* aliosque a NOLTENIO *pag.* 32. *ſq. conſpect. theſauri antiquitatum Germanicar.* adductos. Eodem certe iure philoſophos dici Druidas noſtros poſſe contendimus, quo veteris Aegypti ſacerdotes, Indorum Brachmanes, Chaldaeorum Magi; quemadmodum eos, vti ſupra vidimus, reuera in horum claſſem retulit LAERTIVS *init. prooem. ad vitas philoſ.* Enimuero, ſi non omnis, ſed earum tantum veritatum cognitio, quae ſolidam et huius et futurae vitae felicitatem pollicentur, quaeque hominum animos a ſtatu feritatis naturali ad manſuetiorem viuendi rationem transducunt, philoſophum efficit,

efficit, optimo certe iure Druidae nuncupandi erunt philoſophi, tamque ſplendido honorandi titulo, quum primi fuerint, qui barbaris ac ferocibus maiorum noſtrorum, Celtarum nempe, animis tam ſalutares, nulloque pretio redimendas veritates inſtillarunt. Quales illae fuerint, deinceps videbimus, minime interea negantes, maximam olim fuiſſe potentiſſimae nationis Celticae corruptionem, tam in ſacrarum, quam in ciuilium adminiſtratione rerum illis potiſſimum temporibus conſpicuam, vbi omnis diuinarum humanarumque veritatum cognitio, Druidum miniſterio, ad illos dimanabat; quod etiam de aliis antiquioribus terrarum orbis populis, in ethniciſmo verſantibus, operoſa exemplorum inductione probari facile poſſet, ſi opus foret. Nomine philoſophorum Druidas noſtros inſigniendos iam olim agnouere DIODORVS SICVLVS et POMPONIVS MELA, quorum ille *τοὺς φιλοσόφους καὶ θεολόγους*, *lib. V. bibliotb.* hic *magiſtros ſapientiae*, vocat, *coſmograpb. lib. III. cap.* 2. cum quibus IAC. MARTINVS *tom.* I. *pag.* 182. *de la religion des Gaulois* conſentit, adeo, vt magnos dicat philoſophos, atque ſe credere profiteatur, non fore quemquam, qui hunc titulum Druidis iure denegare queat. *Le genre de vie, qui menoient les Druides, et les ſciences, qu'ils profeſſoient, les ont toſiours fait paſſer pour des grands philoſophes. Et à parler franchement, il n'eſt perſonne, qui puiſſe leur diſputer cette qualité: point d'ecole aſſes vaine, pour ſe flater de l'emporter ſur eux, ſoit pour la gloire de l'ancienneté, ſoit pour la nobleſſe des ſentimens, ou enfin pour l'integrité des moeurs.* Procul abire debere ait omnem, ſi qua ſit, veterum ſectam, quae Druidas vincere ſe poſſe vana ratione glorietur, ſiue quoad antiquitatem, ſiue dogmatum praeſtantiam ac nobilitatem, ſiue denique morum integritatem. Erat igitur Druidum philoſophia, generatim ſpectata, complexus veritatum diuinarum pariter et humanarum, quae vel per oralem traditionem, vel ipſam rerum ſublimium diligentem conſiderationem illis innotuere. Hinc eosdem more reliquorum veteris aeui populorum theologiam cum philoſophiae ſtudio coniunxiſſe diſcimus, quod inſuper patet ex iis, quae doctiſſime perſequitur PHIL. CLVVERIVS *German. antiq. lib. I. cap.* 24. *pag.* 161.

b) Methodum tractandi philoſophiam deſcribit CAESAR, cuius locum, etſi prolixiorem, in gratiam lectorum dabimus e *lib.* VI. *cap.* 14. *Tantis excitati praemiis*, inquit, *et ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, et a propinquis parentibusque mittuntur. Magnum ibi numerum*

verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent, neque fas eſſe exiſtimant ea litteris mandare, quum in reliquis fere rebus publicis priuatisque rationibus (Graecis) litteris vtantur. Id mihi duabus de cauſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint, neque eos qui diſcunt, litteris confiſos, minus memoriae ſtudere, quod fere plerisque accidit, vt praeſidio litterarum, diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittant. Satis luculenter exponitur a CAESARE illa diſciplinae ſecretioris, ſiue philoſophiam docendi ratio, Druidis familiaris; eapropter non opus eſſe duco, multis verba haec ſua luce radiantia illuſtrare. Nec quoque multis diſputabo, vtrum Graecis litteris Galli ſint vſi, et annon vox illa *Graecis* vncinulis incluſa, e textu tamquam adulterina ſit eliminanda, nec ne? Quemadmodum noſtra nihil intereſt, vtrum eorum ſtatuamus, ita, ſi quid iudico, hanc controuerſiam criticorum omnium optime diremit excellentiſſimus et ipſe quondam criticus FRANCISCVS HOTOMANNVS, qui ſolide demonſtrat tam in *commentar. ad h. l. Caeſaris*, quam in *Francogalliae cap. II. p. m. 9. ſqq.* improbandam eſſe ſententiam eorum, qui Gallos Caeſaris tempore Graecam calluiſſe linguam autumant. Conſentit magnus IO. SELDENVS in *Iano Anglor. pag.* 977. In HOTOMANNVM, at quam egregium olim virum, cenſuram iniquiſſimam extorſit hac occaſione LESCALOPERIO petulans vituperandi libido, procul dubio ex inconſulto ac male ſano ſectae ſtudio nata, vti videre licet ex *cap. XV. theolog veter. Gallorum.* Modeſtius vero aduerſus illum incedunt, dum refutant, doctiſſimi auctores *de l'hiſtoire literaire de la France, tom. I. pag.* 12. 13. vbi ſimul alium CAESARIS locum, de epiſtola Graeca ad Q. Ciceronem, *lib. V. cap.* 48. exſtantem, erudite vindicant. Vnicum bene notandum velim, illud nimirum: Caeſarem, etſi non aperte dicat, Druidas in docendis philoſophiae praeceptis methodum adhibuiſſe fabularem ſ. *μυθικὴν*, aliis tamen iſta tradentibus non aduerſari. Hos inter eſt DIOGENES LAERTIVS, qui expreſſe de Druidis *l. c. ſegm. 6.* *οἱ δὲ φάσκοντες ἀπὸ Βαρβάρων ἄρξαι φιλοσοφίαν, καὶ τὸν τρόπον παρ᾽ ἑκάστοις αὐτῆς ἐκτίθενται· καί φασι, τοὺς μὲν Γυμνοσοφιστὰς καὶ* ΔΡΥΙΔΑΣ *αἰνιγματωδῶς ἀποφθεγγομένους φιλοσοφῆσαι.* h. e. *Sed qui philoſophiam a Barbaris profectam dicunt*, (ARISTOTELES nimirum et SOTION, de quibus ſupra) *quomodo a ſingulis tradita fuerit, exponunt. Gymnoſophiſtas ac DRVIDAS obſcure ac per ſententias philoſophatos eſſe aiunt.* Antiquum gentium vetuſtiſſimarum morem in tradenda philoſophia atque

atque theologia ſeruabant Druidae, vt aenigmatibus faciem velarent veritati, ac ſi vetuiſſet pudor nudam oſtendere populo. Ex veterum lectione monumentorum conſtat, *quam totum genus humanum, quaſi caelo tactum, impulſum fuerit et incitatum ad hanc doctrinam mythologicam*, vt verbis vtamur BVRNETII *archaeol. philoſ. pag.* 390. qui more ſuo, hoc eſt erudititiſſime, de vſu mythologiae inter omnes gentes litteratas, deque illius antiquitate ibidem, vt et *pag.* 408. et *ſeq.* (edit. Amſtelod. 1699. 4.) differit, ac probe obſeruat, fabularum nomine non hiſtoriolas aut leues quasdam narratiunculas vulgo ſic vocatas intelligi debere, ſed fabulas philoſophicas, quae ſemper habent fundamentum in re ipſa, quarumue fabuloſo cortici ſubeſt veritas, eaque non vulgaris. Ideo cum PHVRNVTO *de natur. deor. cap. vlt.* nobis perſuademus, *ὅτι οὐχ οἱ τυχόντες ἐγένοντο οἱ παλαιοὶ, ἀλλὰ καὶ συνιέναι τὴν τοῦ κόσμου φύσιν ἱκανοὶ, καὶ πρὸς τὸ διὰ συμβόλων καὶ αἰνιγμάτων φιλοσοφῆσαι, περὶ αὐτῆς εὐεπίφοροι, veteres non contemnenda fuiſſe capita, ſed ad naturam mundi cognoſcendam idoneos, ad eamque explicandam ſymbolis et figuris ingenioſe felices.* Notiſſimus cetera et obſeruatu digniſſimus eſt locus CLEMENTIS ALEXANDR. *lib.* V. *ſtromat. pag.* 658. *πάντες οὖν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οἱ θεολογήσαντες, βάρβαροί τε καὶ Ἕλληνες, τὰς μὲν ἀρχὰς τῶν πραγμάτων ἀπεκρύψαντο· τὴν δὲ ἀλήθειαν αἰνίγμασι καὶ συμβόλοις, ἀλληγορίαις τε αὖ καὶ μεταφοραῖς, καὶ τοιουτοισί τισι τρόποις παραδεδώκασι. Omnes igitur, vt ſemel dicam, qui de rebus diuinis tractarunt, tam barbari, quam Graeci, rerum quidem principia occultauerunt, veritatem autem aenigmatibus et ſymbolis et allegoriis rurſus et metaphoris, aliisque modis conſimilibus, tradiderunt.* Addit in adnotationibus ad haec CLEMENTIS verba IOAN. POTTERVS locum ORIGENIS e *libris contra Celſum*, et quidem I. vbi conſona his traduntur. Omitto dicere, magnam religionis partem numquam non in arcana quadam rerum ignotarum reuerentia poſitam olim fuiſſe, quae res fecit, vt vulgus praeter obſeruationes rituum externas modum ſacrae rei prorſus non cognoſceret, immo ne ſacerdotes quidem et ſacrificuli omnes in remotos ſacrorum receſſus et prima fundamenta penetrarent; quemadmodum bene haec obſeruauit doctiſſimus vir CHRIST. HENR. WEISSIVS in *antiqq. Saxon. Miſnicis pag.* 103. Omitto etiam, methodum philoſophiam tractandi fabularem, quae olim Druidis erat cum aliis gentibus communis, non tantum a veteribus, ſed etiam recentioribus laudatam, veluti a ſumme venerabili, nunc beato praeceptore noſtro, IO. FRANC BVDDEO

Digitized by Google

in *diſſ.* qua *φιλόσοφον φιλόμυθον*, *philoſophum fabularum amatorem* ſiſtit, *analect. hiſt. phil. pag.* 43. nec non *iſagog. hiſt. theol. pag.* 292. *ſq.* itemque ANDR. CHRISTOPH. ESCHENBACHIO in *ethica mythologica*, ſiue *de fabularum poeticarum ſenſu morali* diſſertatione, quae prima eſt inter *diſſertatt.* eius *academicas*, iunctim excuſas Noriberg. 1705. 8. In eo ceterum Druides noſtri, quod nefas eſſe duxerint, ea litteris mandare, quae ipſimet edocti alios iterum docuere, conuenire cum PYTHAGORA conſtat, qui ſummo itidem rigore prohibuit, ne quaedam ex diſciplina ſua in vulgus per ſcripta efferrentur. Notiora ſunt, quae de ſilentio Pythagorico memoriae prodita leguntur, quam quae multis a nobis referantur. Falſus autem eſt SCHEDIVS, quum nullo innixus veterum teſtimonio *pag.* 435. perhibet, Druidas a diſcipulis iuramentum ſilentii exigere conſueuiſſe, eamque in rem valde inepte iusiurandum VETTII VALENTIS, Antiocheni ciuis, et profeſſione aſtrologi, quod primus edidit SELDENVS *cap.* 3. *prolegom. de diis Syris p. m.* 35. ſpeciminis loco profert. Nihil horum veteres, nihil e recentioribus ipſe SELDENVS, qui alio tamen loco, nempe in *analectis Anglo Britannic. pag.* 881. parallelismum Pythagoram inter et Druidas inſtituit.

§. II.

Vt omnem Druidum philoſophiam, eiusque tradendae methodum obſcuram diximus et intricatam, ſic *theologia* inprimis, quae primarius ipſorum ſcopus, praecipuumque ſtudiorum obiectum erat, c) varias ob cauſas d) explicatu perquam difficilis eſt. Duabus illa maximi momenti veritatibus abſoluebatur, quarum prima *Deum* ens natura longe perfectiſſimum ac potentiſſimum, e) ideoque cultu debito externo, caſta mentis veneratione tacitaque admiratione digniſſimum f) ſiſtebat, altera de *anima* hominis, quod ſit materiae omnis expers, immortalis propter ea et aeterna, g) praecipiebat. Num tertium ſubſtantiarum praeter Deum et animas hominum genus, daemones nimirum aut angelos h) admiſerint, incertum?

c) Patet hoc ex iis, quae *§. praeced.* monuimus, Druidas more gentium antiquiſſimo theologiam cum philoſophiae ſtudiis ſemper

per coniunxiſſe. Hoc inſuper adeo verum eſt, vt veterum teſtimoniis confirmari poſſit, velut DIODORI SICVLI, qui *lib. V. bibl.* dicit: *ἔθος δ᾽ αὐτοῖς ἐςὶ, μηδένα θυσίαν ποιεῖν ἄνευ φιλοσόφου*; *absque philoſopho ſacra illis facere non licet;* et CAESARIS *lib. VI. cap. 13. de B. G.* vbi de Druidis: *illi rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica et priuata procurant, religiones interpretantur:* tum etiam ille nobis facile adſentiatur, qui indolem philoſophiae priſci aeui probe cognitam habet.

d) Multa hic poſſemus de ſuſcepti laboris difficultate praefari, quam arduum ſit, ex caliginoſis illis et anigmaticis, ſummoque ſemper ſtudio a Druidis occultatis, theologiae praeceptis certam eruere veritatem, quam periculoſum, in tanto contradicentium pruritu bene de illis iudicare, quum nihil eorum ſcriptis vmquam tradiderint, inque litteras retulerint; quam etiam minime tutum, per omnia fidere auctoribus, quorum vel ignorantia in rebus antiquis, vel peruerſae iudicandi rationes, auitae religioni patriisque ſacris ſuperſtructae, aliaque hoc nobile de religione maiorum argumentum obſcurarunt potius quam illuſtrarunt. Noſtra hinc plane facimus PLINII verba, qui *hiſt. nat. lib. I. pag.* 6. edit. primae IO. HARDVINI, *res ardua eſt*, inquit, *vetuſtis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam - - - Itaque etiam non adſequutis, voluiſſe, abunde pulcrum atque magnificum eſt. Equidem ita ſentio, peculiarem in ſtudiis cauſam eorum eſſe, qui difficultatibus victis, vtilitatem iuuandi praetulerunt gratiae placendi* - - Atque in eamdem ſententiam conferre iubemus, quae MARTINVS *de la relig. des Gaul. praefat. §. IV. pag. III.* et illuſtris DE BÜNAV *vol. I. der Teutſchen Kayſer - und Reichs - Hiſtorie pag. 63.* adferunt. Parum igitur aut nihil, ſi ſpecialem numinum patriorum recenſionem inſtituere animus eſſet, iuuare nos poſſent ea, quae CAESAR et TACITVS *interpretatione Romana* (quemadmodum *cap. 43. de morib. Germ.* hic loquitur) de illis dixerunt. IO. CLERICI et KEYSLERI huc ſpectantia loca IVST. CHRISTOPH. DITHMARVS, vir ampliſſimus, inſeruit *notis* ſuis *in Tacit. Germ. cap. 9. pag. 51. 52.* cum quibus compara IAC. MARTINVM de Caeſare iudicantem *Tom. I. pag. 333. lib. cit.*

e) Quum varia ſint, quorum vt mentionem faciamus praeſentis negotii tractatio requirit, ne rerum multitudine obruamur, ſequentem in dicendis ordinem obſeruabimus, vt inquiramus I) num aliquem Dei ſenſum habuerunt maiores noſtri? II.) a quo religionem

nem acceperint? et denique III.) qualis ea fuerit, quid de Deo ratione eſſentiae et attributorum ſpectato, itemque de cultu ipſi praeſtando ſenſerint, crediderintque?

Ad *primum* quod attinet, quum Deum omnino credidiſſe veteres Celtas in theſi noſtra fateamur, procul ab eorum ſententia nos eſſe declaramus, qui deteſtando atheorum conuitio magis quam nomine infamandos eos cenſent. Quemadmodum enim AELIANO facile adſentimur, tradenti *var. hiſtor. lib. II. cap.* 31. *μηδένα τῶν βαρβάρων ἄθεον εἶναι, barbarorum neminem eſſe atheum*, apud WOLFIVM *de atheiſmi falſo ſuſpectis pag.* 4. atque cum IO. ALB. FABRICIO in *ſyllab. ſcriptor. de verit. relig. Chriſt. pag.* 309. certum exploratumque arbitramur, nullam vel olim fuiſſe, vel hodienum eſſe gentem tam barbaram et immanem, atque ita extra leges moresque proiectam, vt non aliquod numen crediderit, colendumue cogitet, ſic damnandi nobis ac reiiciendi ex merito ſunt illi, qui nefandam de Celtarum atheiſmo calumniam in vulgus ſine fronte ſparſerunt. Iam olim IVLIVS CAESAR agnouit *lib. VI. cap.* 16. *de B. G. nationem Gallorum omnem admodum deditam eſſe religionibus*, eamque ab impacto crimine abſoluit. Quam vellem iſta CICERO, cui CAESARIS commentarii probe cogniti lectique erant, prouti teſtatur ipſe *cap.* 75. in *Bruto*, obſeruaſſet, quum in *orat. pro M. Fonteio* Gallos, tamquam deorum immortalium hoſtes, auſu impudentiſſimo ſpectandos proponit. Quam optarem, curatius de adſtruenda dictorum fide ſibi proſpexiſſent PAVSANIAS, Graeculus inepte mentiens, itemque IVSTINVS, vel ſolum ob hoc factum minime iuſtus dicendus, eadem turpiter chorda oberrantes: ille quidem *lib. X. Graeciae deſcr. pag.* 648. edit. SYLBVRGII, hic autem *lib. XXIV. cap.* 6. *hiſtoriar.* Sed bene eſt, ab aliis pudendam eorum audaciam firmiſſimis repreſſam eſſe argumentis, bene inquam, innocantiam Celtarum a poſteris agnitam et vindicatam, ſpeciatim a MASIO *pag.* 1. *ſqq.* libri, *de diis obotritis*, vbi CAESAREM etiam propter imputatum Germanis atheiſmum reprehendit, nec non CLEFFELIO *antiq. Germ. ſeptentr. pag.* 419. *ſqq.* vbi praecognita theologiae veterum Germanorum exhibet, reuer. IAC. FRID. REIMMANNO *hiſt. atheiſmi pag.* 304. et IAC. MARTINO *tom. I. pag.* 77. *ſqq.* cuius ſolidiſſimas reſponſiones ad argumenta ab aduerſariis prolata neminem legiſſe poenitebit. Operae quoque pretium erit, ad ea, quae de Celtarum religione ex CAESARE produximus, conferre

Digitized by Google

conferre PET. LESCALOPERIVM *theolog. vett. Gallor. cap. I.* Adde ſis cl. DOEDERLINVM *init. antiqq. gentiliſmi Nordgauienſ. §.* 1. et HENR. ANDR. KOCHIVM *de puriori vett. Germ. theologia* apud NOLTENIVM *l. c. pag.* 34.

Alterum tractationis noſtrae caput in eo verſatur, vt, vnde primitus Celtae religionem cultumque numinis acceperint? paucis indagemus. Quum omnes omnium populorum gentiumque antiquarum origines a Noachi filiorumque, poſt vniuerſalem illam terrarum orbis inundationem ſuperſtitum, poſteris repetantur, omnis etiam ſiue vera ſiue falſa Deum colendi ratio ab iisdem ad alios dimanaſſe cenſenda eſt, id quod ſacrae inſuper litterae nos docent. Iam vero conſtat, et ab aliis ſatis luculentis ac veriſimillimis expoſitum eſt argumentis, Celtas ſ. Gallorum Germanorumque nationes veterum Cimbrorum eſſe propaginem, qui olim dicti a Iapheti filio *Gomero*, quem una cum filio *Aſcbenaze* pro vtriusque gentis conditoribus habent. Paullo quidem aliter haec et latius ediſſerit NIC. PETREIVS in *Cimbror. et Gotbor. originibus pag.* 1. *ſqq.* FLAVIVS vero IOSEPHVS, (et cum eo plures alii apud b. BVDDEVM *hiſt. eccl. vet. teſtam. tom. I. pag. m.* 217. quem vide, vt et MARTINVM *tom. I. pag.* 47. *de la relig. des Goul.*) *antiquit. Iud. lib. I. cap.* 6. *tom. I. fol.* 20. edit. HAVERCAMPI, iam olim contendit, τοὺς μὲν γὰρ νῦν ὑφ' Ἑλλήνων Γαλάτας καλουμένους, Γομαρεῖς δὲ λεγομένους, Γομαρὸς ἔκτισε, h. e. *Qui enim nunc a Graecis Galatae vocantur, olim vero Gomarenſes dicti, Gomarus condidit.* Adſtipulatur poſt CLVVERIVM *lib. I. cap.* 6. *German. antiq.* infinita recentiorum, ab illuſtriſſ. BÜNAVIO *tom. I. pag.* 6. et 7. it. 626. *ſqq.* allegatorum multitudo, quorum diuerſas ambitioſe conquirere ſententias, aut rationum pondera, noſtri non fert inſtituti, nedum ingenii, ratio. Parum tamen abeſt, quin cum b. SPENERO *hiſtor. German. lib.* I. *cap.* II. *§.* 2. *pag.* 16. 17. *vanum omnino eſſe ſtudium* exiſtimemus, *accurate velle exponere, quis filius nepoſque Noacbi proprius Germanorum ſator paterque fuerit, et per quas regiones primae familiae in Germaniam peruenerint. Quis enim ex ſumma obſcuratione rerum ea euoluerit?* Immo noſtra facere verba M. VELSERI nulli dubitamus, vbi ſub init. *libri I. rerum Boicar. pag.* 3. *opp.* grauiſſime ſcribit: *Nos boc genus narrationes, quo merentur loco, ſeponimus, operam iis, ad aliquam veri ſpeciem conformandis, non luſuri.* Quando igitur Celtas noſtros a Noachidarum poſteris deriuamus, omnem etiam eorum religionem et ſacra e ſat

bono

bono profluxiſſe fonte, non ſine ratione putamus, colligimusque exinde nobis tam antiquitatis quam puritatis, ſi non omnino defaecatae, certe aliqualis, in religione maiorum conſpiciendae praeiudicium naſci. Quo ſimpliciores enim eius origines, quoque plus ab omni corruptione remota, eo caſtior etiam atque auguſtior illius erat in antiquiſſimis temporibus facies.

Supereſt *tertium* idque praecipuum membrum, quo eruere conabimur, qualem de Deo ideam Celtae ſibi quondam formauerint, qualemque illis conceptibus ſuperſtruxerint cultum. Ante vero quam hoc fiat, paucis praemonendum duximus, non nobis ſermonem eſſe de religione vulgi, cuius craſſiores, et mobili ingenio adfectibusque inordinatis accommodatae opiniones plerumque de maxima corruptione teſtantur, ſed de illa *diſciplina*, cuius CAESAR meminit, de illa Dei colendi ratione, quam Druidas, e non adeo lutulentis doctrinae fontibus hauſtam, bene ordinaſſe, poſteritatique commendaſſe nouimus. His praemiſſis ad rem ipſam pergimus, quumque Deus tam ratione *eſſentiae* ſ. attributorum, quam *operum*, et denique *cultus* poſſit conſiderari, de illo primum agemus.

Satis quidem ſublimes ac magnificos de Deo, quoad *eſſentiam* ſpectato, conceptus eos habuiſſe teſtatur CORNEL. TACITVS, dum *cap.* 9. *de morib. Germ.* ait: *Ceterum, nec cobiberi parietibus Deos, neque in vllam humani oris ſpeciem adſimilari ex magnitudine coeleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reuerentia vident.* Nemo hic nobis obuertat, in praecedentibus TACITVM expreſſiſſe nomina Deorum, vt Mercurii, Herculis et Martis, nec minus CAESAREM locis ſaepe citatis meminiſſe Apollinis, Martis, Mineruae, Iouis, Solis, Vulcani, Lunae, cet. quos Celtae diuinis proſequutae ſint honoribus; minus conuenientes propterea videri eorum de diuinitate ideas, quum pluralitas numinum ſ. πολυθέοτης vero ac genuino de Deo conceptui e diametro aduerſetur. Nemo, inquam, nobiſcum hic pugnet, quum minime omnium negemus, puram illam ac ſimplicem Celtarum religionem ſenſim in adulterinam et maxime corruptam degeneraſſe, quemadmodum poſtea videbimus, quum ad cultum eorum peruenerimus. Nunc primam illius ac ſimplicem eamque genuinam intuentes indolem, egregiam fuiſſe Deoque dignam, ſine haeſitatione pronunciamus. Singularis certe de diuinitate ſententia, quae Celtarum animis

Digitized by Google

mis infixa erat, LVCANVM permouit, vt aut vnice veram aut vnice falſam prae omnium aliarum gentium religione ac cultu pronunciaret, quum *lib.* I. *v.* 452. ait:

> *Solis noſſe Deos et coeli numina vobis,*
> *Aut ſolis neſcire datum.*

In quorum tamen verborum explicatione aliam ingreditur viam LESCALOPERIVS, et non tam laudari, quam notari Druidas exiſtimat ob arrogantiam, qui ſe aliquid prae ceteris mortalibus acutius in Deo vidiſſe gloriarentur. *Theol. vett. Gallor. cap.* XVI. Immo vero adeo differebant maiorum noſtrorum placita a reliquarum gentium religione, vt nihil habuerint commune cum profano Deorum cultu, Romanis vſitato, qui tamen ſoli ſapere ſibi videbantur. Probe hic tenenda ſunt, quae monet illuſtris doctrina et munere vir, EVERARDVS OTTO, in doctiſſimo *de diis vialibus* opuſculo: Quia eos, nempe Deos (Germani) diuerſimode expreſſerunt, ideo „ diuerſis quoque Deorum ſuorum nominibus eos appellarunt ſcri- „ ptores Romani, parum tamen appoſite, quum ſatius fuerat, bar- „ baras appellationes retinuiſſe, vt erudite monuit *Voſſius lib.* I. *de* „ *idol. cap.* 37. Suis enim nominibus Deos ſuos vocabant Germani, „ nec eadem, quae Graeci, colebant numina; *Tacitus* vero (addo et, „ *Caeſar*) ex ſigni ſimilitudine vel muneris paritate, iſtos ſtatim eos- „ dem putabat eſſe, quos Romani in patria colebant. „ Et ſane, ſi verba TACITI paullo exactius conſideremus, ita de Deo ſtatuiſſe Celtarum Druidas videbimus, vt eum pro *ente* omnium *perfectiſſimo* habuerint. Si nulla Dei habitatio intra parietes (ſiue templa domusue, vti bene explicauit haec verba CVRTIVS PICHENA in *not. ad h. l. pag. m.* 253.) eſt, nullis idem quoque terminis per naturam includi poteſt, ideoque *immenſus* erit. Si nulla ipſius exſtat corporea imago, ſed animo tantum cernitur, non materialis erit, ſed *ſpiritualis* naturae. Spiritualem igitur, *inuiſibilem*, immenſumque Deum agnoſcebant, qui inſuper ſit ens *ſupremum*, et propter excellentiam naturae ſummam admiratione ſacroque ſilentio digniſſimum. Videamus porro, num etiam *vnitatem* entis illius ſupremi agnouerint? Ipſa, ſi philoſophice loquamur, entis perfectiſſimi notio omnem in Deo pluralitatem prorſus tollit et exulare iubet; ſumma itidem ve-

neratio erga numen ſanctiſſimum, antiquitas religionis Druidarum, horum ingens ſtudium ne corrumperetur, gentiumque conſenſus in hac veritate, ſuadent omnino, vt credamus, vnitatem eſſentiae diuinae Celtis olim probe fuiſſe perſpectam. Audi quaeſo MAXIMVM TYRIVM *diſſ. I.* ἐν τοσούτῳ δὴ πολέμῳ καὶ στάσει καὶ διαφωνίᾳ, ἕνα ἴδοις ἂν ἐν πάσῃ γῇ ὁμόφωνον νόμον καὶ λόγον, ὅτι Θεὸς εἷς, πάντων βασιλεὺς καὶ πατὴρ, καὶ θεοὶ πολλοὶ, Θεοῦ παῖδες, συνάρχοντες Θεῷ. Ταῦτα δὲ ὁ Ἕλλην λέγει, καὶ ὁ Βάρβαρος, καὶ ὁ ἠπειρώτης, καὶ ὁ θαλάττιος, καὶ ὁ σοφὸς, καὶ ὁ ἄσοφος. *In hac tanta pugna* (de Dei eſſentia ſ. natura) *contentione atque opinionum varietate, in eo leges vbique terrarum atque opiniones conuenire videbis; DEVM eſſe VNVM, regem omnium et patrem. In eo Graecus cum barbaro, mediterraneus cum inſulano, ſapiens conſentit cum ſtulto.* Huic loco ſimilem adde HELMOLDI apud HECHTIVM *Germ. ſacr. et litter. pag.* 10. vbi de Slauis, *inter multiformia*, inquit, *Deorum numina, quibus arua, ſiluas, triſtitias atque voluptates attribuunt, non diffitentur vnum Deum in coelis, ceteris imperitantem, illum praepotentem coeleſtia tantum curare.* Quum igitur gentilium πολυθεότητα errorem tantum popularem fuiſſe, a ſapientiſſimis eorum ſemper reiectum videamus, (quorſum conferantur IAC. LENFANT theologi inter reformatos celebratiſſimi, *praefat. ad innocentiam catech. Heidelbergenſ. pag.* XI. *ſqq.* SOVVERAIN in *Platoniſm. detecto pag.* 64. MICH. MOVRGVES *tom. I. epiſt. I. du plan theolog. du Pythagoriſme*, BOSIVS in *opuſcul. pag.* 554. *ſq.* edit. cel. WALCHII, FABRICIVS *de V. R. C. pag.* 312. *ſqq.* et qui rem extra omnem controuerſiam poſuit CVDWORTHVS in *ſyſtem. intellect. vniuerſi pag.* 226. *ſqq.*) quidni Celtas etiam noſtros, ratione religionis inter ſapientiſſimos certe ponendos, vnitatem Dei crediſſe ſtatuamus? Idem facit, ſed aliis rationibus principiisque innixus MARTINVS *tom. II. pag.* 69. * *de la relig. des Gaul.* Fuit nihilo minus vir de antiquitatibus patriis longe cetera meritiſſimus, PHILIPPVS CLVVERIVS, qui, nimio Germanae gentis amore abreptus, auſu maxime temerario prorſus perſuadere nobis conatus eſt, ſanctiſſimum Trinitatis myſterium cognitum maioribus noſtris olim fuiſſe, ita quidem, vt ſub Solis, Lunae ac Ignis nominibus illi Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum adorauerint. *Lib. I. cap.* 29. *Germ. antiq.* Immo alios quoque ſententiae huius patronos, quos inter et CASP. CALVOERIVM *Saxon. infer. gent. et chriſt. pag.* 14. 18. eſſe, non ſine ſtupore deprehendi, indicat DOEDERLINVS *l. c. pag.* 2. *§.* 3. et CLEFFELIVS *l. c. pag.* 438. quibus et ipſe

ipſe accedit. Conclamatum eſſet cum iſta maximi momenti veritate, ſi naeniis eiusmodi inniteretur. Egregie, ſi quid iudico, ac ſolide ὁ μακαρίτης H. G. MASIVS *l. c. pag.* 4. ait: *Haec curioſius finguntur, quam probantur: tantum enim Germani a vera Dei notitia, quantum reliquae gentes, abfuerunt; tantum vero de myſterio Trinitatis cognitum habuere, quantum ratio ſibi relicta noſſe poteſt, i. e. nihil.* Idem vir doctiſſimus *pag. ſeq.* auctores indicat, qui abſurdam illam, tantoque, qualis CLVVERIVS erat, viro indignam ſententiam pluribus perſtrinxerint, quibus adiungendus erit TROG. ARNKIEL in *der Cimbr. Heyden-Religion part. I. pag.* 24. 25. Optime huc quadrat illud VIRGILII *lib. II. Aeneid. v.* 521.

Non tali auxilio nec defenſoribus iſtis

primarium hocce fidei noſtrae chriſtianae caput eget. Hinc iſtos innuiſſe CLVVERIVM, SCHEDIVMque (cuius ſimilis furfuris cogitata lege *pag.* 321. *de Diis Germ.*) puto HVETIVM, quando *lib. II. cap.* 3. *quaeſt. Alnetan. pag.* 98. inquit: *Fuerunt, qui exiſtimarent, Celtas ſub Heſi, Beleni et Tharamis nominibus vnicum Deum Teutatem coluiſſe, et qui ex eo, quod de Germanis ſcriptum reliquit Caeſar, Deorum numero eos ſolos ducere, quos vident, Solem, Vulcanum et Lunam, colligerent, Deum ipſos vnum et trinum veneratos.* Quae de duplici principio, bono et malo, *Belbocb* et *Zernebocb*, Germanis olim credito, referunt VLR. OBRECHTVS *diſſ. academ. pag.* 273. IO. CHR. WOLFIVS in *Manichaeiſmo ante Manich. pag.* 101. *ſq.* MASIVS *de diis obotr. pag.* 31. *ſq.* CLVVERIVS *Germ. antiq. fol.* 218. HECHTIVS *Germ. ſacr. et litter. pag.* 11. et clar. DOEDERLINVS *antiquitt. gentiliſmi Nordgau. pag.* 64. alibique in antecedentibus, ea ad recentiora ſpectant, nec noſtra tangunt, de quibus agimus, tempora.

Nunc porro ſpectandus nobis Deus erit ratione *operum*, quibus gratioſam ſuam voluntatem erga homines in regno naturae manifeſtauit. Horum duo cumprimis Celtae noſtri admittebant: creationem huius vniuerſi et hominum, atque prouidentiam. Quod ad prius, nempe *creationem* attinet, quum duplici iterum ratione conſiderari poſſit, de hominis tantum productione, ſed pauca, dicemus, illam de condito mundo materiam ad dogmatum phyſicorum contemplationem reſeruaturi. Hominum igitur primordia nemini, niſi Deo, adſcribenda eſſe, qui eos ex terra matre formauerit, recte maiores noſtri crediderunt. Referri huc debent CAESARIS *lib.* VI.

 cap. 18.

cap. 18. *de B. G.* TACITIque *de morib. Germ. cap.* 2. loca, quorum ille; *Galli ſe omnes*, inquit, *ab Dite patre prognatos praedicant, atque id a Druidibus proditum dicunt.* Hic vero ita: *Celebrant carminibus antiquis Tuiſtonem deum terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque.* Explicabit illa TACITI: *Tuiſtonem deum terra editum*, omnium optime TERTVLLIANVS *apologet. cap.* 10. ſcribens: *terrae filios vulgus vocat, quorum genus in incerto eſt.* Ad quem locum operae pretium erit conferre GVNDLINGIVM *Gundlingian. part. VIII. pag.* 208. (*) itemque CELLARIVM *diſſ. academ. p.* 576. et OTTONEM *de diis vial. pag.* 57. *ſq.* Multi ſunt in eo interpretes, vt, quis ſub Ditis ac Tuiſtonis nominibus lateat, ſi non demonſtrent, ſaltim diſquirant. Ita v. gr. CASP. CALVOERIVS *Saxon. infer. gentil. et chriſtian. lib.* I. *cap.* 10. *§.* 75. *pag.* 32. Tuiſtonem Taciti neminem vult eſſe alium, quam communem illum ac primum humani generis parentem Adamum, et pro Manno eius ex poſteris nepotem Noachum habet. En ejus verba: *Man ſiehet leicht, was für ein Gott unter des Taciti Tuiſtone, Deo terra edito, et filio eius Manno, verborgen liege. Es iſt nemlich Adam der Ur-Stamm-Vater, welcher aus einem Erden-Kloſs gemachet, und dann ſein Sohn oder Nachkömmling, der andere Stamm-Vater menſchlichen Geſchlechtes, Noa, welcher etwa durch Verſezung der Buchſtaben, Ano, und mit dem Vor-Buchſtaben M, Mano oder Manno genennet worden iſt.* Euoluatur vero ex multis illuſtriſſimus dominus DE BÜNAV in immortali *hiſtor. German.* opere *tom.* I. *pag.* 625. *ſq.* qui et *pag.* 628. „Apud Romanos, ait, *terrae filii*, hoc eſt, noui homines, atque auorum obſcuritate ignoti „vocabantur.„ Addatur perilluſtris DN. HENR. DE FALCKENSTEIN in egregio opere *antiquitatt. Nordgauienſium tom.* I. *cap.* III. *§.* 3. *pag.* 28. 29. qui Tuiſtonem magnum inter priſcos Germanos heroem fuiſſe, ab illis deorum in numerum relatum, arbitratur; nec non clar. DITHMARVS *not. in Tacit. l. c.* vbi varia variorum cogitata congeſſit. Ego, prouti non repugnabo, ſi vel Deum O. M. huius vniuerſi hominumque creatorem potentiſſimum (quod facit CLVVERIVS *pag.* 66. et cum eo PVFENDORFIVS *l. c. pag.* 37. *ſq.*) ſiue Mercurium Teutatem, (quemadmodum vult MARTINVS *tom. I. pag.* 326. vbi dicit: „*Teutates* idem ſignificat, quod *parens populi*, condi„tor gentis. *Teut* populus. *Tat* parens. Τεῦ dicimus pro *τίνος* ſenſu „indefinito, et ſignificat *cuiuscumque; τάτα pater:* Graeci etiam di„cunt *τέττα pater*)„ aliumue magni nominis heroem ſub Ditis aut Tuiſco-

Tuiſconis vocabulo intelligas; ita facile adducor, vt omni non modo veritatis ſpecie deſtitui cenſeam erudititiſſimi amici CHRIST. WEISII ſententiam, qua originem huius (Germanorum erga Teutatem) religionis Aegyptiis deberi cenſet, *diſſ. II. de numinib. vialibus pag.* 29. ſed inſuper credam cum CLVVERIO *l.c. famam eius rei* (nempe creationis hominis a Deo factae) *atque memoriam ad poſteros mortales, veluti per manuum traditiones, a patribus in filios deuolutam, longinqua vero ſaeculorum extenſione penitus, vt fieri ſolet, obſcuratam eſſe, ita vt Celtae, quemadmodum vnaquaeque gens reliquas antiquitate antecellere voluit, primam ſui corporis originem, primumque conditorem terra editum praedicauerint.* Sufficit latere in hiſce veterum locis maximae illius veritatis, de creatione hominis ex terra, a Celtis agnitae, etſi ſaeculorum decurſu corruptae, veſtigia. Quod ad alterum non minus glorioſum potentiae diuinae opus, nempe *prouidentiam,* ſpectat, teſtis non tantum eſſe poteſt AELIANVS, quum *lib* II. *cap.* 31. *variar. hiſtor.* Celtas inter eos refert populos, qui et eſſe Deum, et noſtri curam gerere contendunt. Ipſum, ſi placet, audi. *Λέγουσι δὲ τῶν βαρβάρων οἱ προειρημένοι, καὶ εἶναι θεοὺς, καὶ προνοεῖν ἡμῶν, καὶ προσημαίνειν τὰ μέλλοντα, καὶ διὰ ὀρνίθων, καὶ διὰ συμβόλων, καὶ διὰ σπλάγχνων, καὶ δι' ἄλλων τινῶν μαθημάτων τε, καὶ διδαγμάτων.* h. e. *Sed barbari hi, quos dixi,* (Indi, Celtae, Aegyptii, quos retulit in antecedentibus) *contendunt et eſſe deos, et noſtri curam gerere, et praeſignificare futura per aues, ſigna, vel omina, viſcera et alias quaſdam obſeruationes atque doctrinas.* Non AELIANVS tantum, ſed TACITVS etiam ac PLINIVS abunde teſtabuntur, aliique, qui de Germanorum Gallorumque ſortibus, auſpiciis, praeſagiis, et vaticiniis, a feminis fatidicis petitis, anxios illorum, et exſpectatione rerum futurarum, circa prouidentiam ſuſpenſos animos demonſtrantibus, pluribus egerunt. Egregie, vti ſemper ſolet, ac iudicioſiſſime haec ediſſerit vir dignitate pariter ac doctrina illuſtris, IO. IAC. MASCOVIVS *tom.* I. *pag.* 49. operis lectu digniſſimi, quod *Geſchichte der Teutſchen* inſcripſit; multum te, lector, iuuabit, ſi hoc euoluas.

f) Tertium adhuc ſupereſt, vt de ratione ac modo numina colendi, ſiue de *cultu* Deo a Celtis olim praeſtito, quaedam addamus. Quemadmodum enim omnis religio duabus abſoluitur partibus, vero de Deo ſenſu, debitoque ipſius cultu, ita quoad vtrumque maiores ſatisfeciſſe rei ſuo modo deprehendimus. Recte proinde CLEF-

FELIVS

FELIVS *antiqq. Germ. ſeptentr. pag.* 419. inquit: *Eo proceſſit Romanorum in ſcribendo maledicentia, et in detrahendo nimia libido, immo in Germanorum gentes inuidia, vt quam alii detrectabant* (atheiſmi) *infamiae notam, maioribus noſtris inurere veriti non ſint. Sic enim de Germanis IVL. CAESAR:* „Germani neque Druidas habent, qui rebus diuinis praeſint, ne„que ſacrificiis ſtudent.„ Et *pag.* 420. *Tantum enim abeſt, vt ad atheiſmum inclinarint, ſ. ſacrificia neglexerint Germani, vt potius - - mirum in modum ſacrificiis operam dederint - - - Teſtantur luci veteres, - - teſtantur arae, quarum tantus numerus, vt vix terrae tractus nominari poſſit, qui illis inſtructus non ſit* cet. Et *pag.* 422. *Ipſe CAESAR ſibi contrarius eſt; allatis enim verbis iis, quae ſupra adduximus, ſubnectit:* „Deorum numero eos ſolos du„cunt, quos cernunt, et quorum opibus aperte iuuantur, Solem, „Vulcanum et Lunam; reliquos ne fama quidem acceperunt.„ *Si ergo Deos iis tribuit, etiam ſacrificia et deorum cultum iis adſcribat neceſſe eſt.* DIOGENES enim LAERTIVS, vbi ſupra de Druidis loquitur, ſimpliciter et indeterminate illos docuiſſe perhibet: *σέβειν θεοὺς, colendos eſſe deos*, non addita ratione vel modo, quo fieri iſtud debeat, eam ob cauſam ſine dubio, quod *αἰνιγματωδῶς* philoſophantes Druidae ſummo ſtudio prae populo, craſſioribus tantum ideis adſueto, tam nobiles veritates occultauerint. Verum clariora ſunt multo, quae habet TACITVS, vbi nec templis, nec imaginibus, vlloue ſculptilium genere vſos Germanos perhibet, ſed lucos tantum et nemora conſecraſſe, deorumque nominibus appellaſſe ſecretum illud, quod ſola reuerentia videbant. Falſus itaque ſine dubio MASIVS eſt, qui iam ante Caeſaris tempora Germanis templa tribuit, *de diis obotr. pag.* 11. 14. et ex merito aduerſatur KEYSLERVS *antiqq. ſeptentr. et Celtic. pag.* 59. *ſq.* Ex ſupra vero dictis in memoriam reuocare libet, Celtas, Noachidarum poſteros, diſperſis per orbem terrarum gentibus, multum ex auita pura illa et ſancta religione non retinuiſſe ſolum, ſed aliorſum quoque ſecum aſportaſſe, multoque caſtius Deum ac reuerentius, quam reliqua ethnicorum multitudo, coluiſſe. Nec dubium videtur, eos Druidarum ope tamdiu integriorem ſeruaſſe numinis cultum, ceu partem religionis alteram, vſque dum per varios bellorum, praecipue cum Romanis geſtorum, caſus, ac frequentiora cum iis commercia, ſtudiumque placendi, priſcam purae fidei ſacrorumque ſimplicitatem per idola et delubra alterarunt, et penitus poſtea amiſerunt. Conf. DOEDERLINI *antiquitates gentiliſmi Nordgauienſ. pag.* 2. Ad ſaeculum igitur

igitur poſt Chriſtum natum ſecundum uſque, quo TACITVS iſta ſcribebat, extendimus felicem illam defaecatioris Celtarum religionis (quoad cultum Deo praeſtitum) epocham, quo demum victoris Romanorum populi ſummo niſu, PLINIO ac STRABONE teſtibus, factum eſt, vt peregrinorum receptione ſacrorum illa tandem in ſpuriam degenerarèt ac immutaretur. Et hactenus quidem pie ac ſapienter conſueuere Deum reuereri maiores nullis incluſum templis, (id quod etiam alios, vt Perſas, Aegyptios, Scythas. Nomades et Seres feciſſe conſtat, vid. CLVVER. *pag.* 234.) maxime tamen in eo rurſus peccarunt, quod ex hiſtoria Abrahami, filium Iſaacum immolaturi, aut minus bene intellecta, aut turpiter deprauata, deteſtabiles et infandos ſibi finxerint formauerintque ſacrorum conſuetudines, qualis erat horrenda illa ἀνθρωποθυσία, ſeu dira humanarum victimarum immolatio. Scilicet, quum ipſomet Deo O. M. teſte, qui omnis veritatis fons eſt, *omne figmentum cogitationum cordis humani tantum malum ſit omnibus diebus, Geneſ.* VI. 5. in ipſo etiam ſanctiſſimo religionis negotio malitia earum ſeſe ſole clarius oſtendit. Ad primas fatalis idololatriae origines hic reſpicio, qua factum eſt, vt omnes fere, Hebraeis exceptis, habitabilis orbis gentes deteſtando polytheiſmi vitio ſe coinquinarent, Deumque cum natura, creatorem cum creaturis turpiter confundentes (*ſiue, quod ſupremum illum nulla cogitatione attingendum, nulla ſatis digna proſequendum veneratione, adeoque omni cultu externo ſuperiorem eſſe, ſolo mentis receſſu intimo venerandum et admirandum exiſtimarent; ſiue, quod inferioribus diis commiſſam crederent a ſummo illo Deo mundi adminiſtrationem, cultumque omnem, qui his tribueretur, in ſupremum illum regem omnium et parentem exiſtimarent redundare*, quae verba ſunt maximi FABRICII in *bibliogr. antiq. pag.* 232. *ſq.*) non modo bonos angelos et homines, ſed malos etiam daemones, aſtra, elementa, brutaque animantia, et res quasuis indigniſſimas cultu, hominibus prorſus erubeſcendo, honorarent. Copioſius haec omnia ediſſerunt *auctor* venerandus *libri ſapientiae cap.* XIII. et XIV. tum et ii, quorum praeſtantiſſima, de origine ac progreſſu idololatriae habemus opera. Idem etiam ingens πολυθεότητος malum Celtas inuaſit noſtros, etſi non opinantes, adeo, vt de iis dici poſſit. quod de vniuerſa gentilium theologia pronunciauit PLVTARCHVS lib. *de Iſide et Oſiride fol.* 377. *ſq. tom.* II. *opp.* ἑνὸς λόγου, τοῦ ταῦτα κοσμοῦντος, καὶ μίας προνόιας ἐπιτροπευούσης, καὶ δυνάμεων ὑπουργῶν ἐπὶ πάντας τεταγμένων,

ἕτεραι παρ' ἑτέροις γεγόνασι τιμαὶ καὶ προσηγορίαι, h. e. *Vnius mentis, vniuerſum hoc temperantis, vniusque prouidentiae eidem praefectae, et facultatum adminiſtratarum omnibus rebus deſtinatarum* (veluti deorum) *alii apud alios honores, aliaeque repertae ſunt appellationes.* Illis enim rebus, quas tamquam diuinae praeſentiae ſigna olim ſummopere venerabantur, e. gr. quercubus, arboribus, lucis cet. figuras poſtea, certaque indidere nomina, vt ſingulae pro diis colerentur, *ſibique* (vt loquitur GREGORIVS TVRONENS. *hiſt. lib.* II. *cap.* 10. apud MARTINVM *tom.* I. *pag.* 65. quem et vide *pag.* 134. *de la relig. des Gaul.*) *ſiluarum atque aquarum, auium beſtiarumque, et aliorum quoque elementorum finxere formas, ipſasque vt Deum colere, eisque ſacrificia delibare conſueti.* Conf. MASIVS *l. c. pag.* 7. Hinc ſtatuis primum, deinde templis, et aris Gallia pleniſſima, hinc lacuum, fluuiorum paludumque apotheoſis, hinc infinita deorum dearumque multitudo, Ogmius, Eſus, Teutates, Taranis, Belenus, Abellion, Dolichenius, Adat, Atergatis, Maguſanus Hercules, Volianus, Ardoina, Nehalennia, Onuana, et quae ſunt eiusmodi barbarae noſtrisque auribus inſuetae appellationes aliae. „ Sic tandem, verba ſunt IO. GE. ECCARDI *vol.* I. *comment. de rebus Franc. orient. pag.* 406. oblito vno Deo enata ſunt multa millia deorum et geniorum, quorum etiam genealogias, vt ex Danielis Winton. epiſcopi, epiſtola ad Bonifacium (quae inter Bonifacianas epiſt. LXVII. eſt, exſtatque apud ECCARD. *l. c. pag.* 347. *ſq.*) patet, ſollicite contexebant, atque a celebrioribus magnorum virorum origines repetebant. „ Conferenda hic clariſſimi hiſtoriarum Profeſſoris Gieſſenſis CHRIST. FRID. AYRMANNI exaſciata *de cultus idololatrici veterum Germanorum origine et incrementis* diſſertatio, 1727. habita, quam me multo cum fructu ſtatim quum prodiret, legiſſe gratus etiamnum recordor. Huc quoque pertinet *diſſ.* beati OMEISII *de Germ. vett. theologia et religione pagana, Altorfii* 1693. habita, ac reliqui, qui hoc argumentum data opera illuſtrarunt. Non poſſum hoc loco non, vel duobus tantum verbis, meminiſſe celebris illius, et doctioribus haud ignoti *indiculi ſuperſtitionum et paganiarum*, quem ECCARDVS, ſynodo Salzburgi ad Salam Francorum ann. DCCXLII. habitae adſcriptum, data illuſtrauit opera *l. c. pag.* 407. *ſqq.* multaque, reconditam in rebus veterum Germanorum ſacris doctrinam ſpirantia, maximo lectorum fructui inſeruientia congeſſit. Agit autem iſte modo dictus *indiculus* de variis peſſimae notae reliquiis paganicis, priſci maiorum

rum

rum ethniciſmi teſtibus, et ſaeculo etiamnum VIII. poſt C. N. hinc inde apud varios Germaniae populos, prouti difficulter eradicari ſeſe patitur ſuperſtitio, retentis atque adhibitis. Capita illius ſunt ſequentia. De ſacrilegio ad ſepulcra mortuorum. De ſacrilegio ſuper defunctos. De ſpurcalibus in Februario. De caſulis, ſiue fanis. De ſacrilegiis per eccleſias. De ſacris ſiluarum, quae Nimidas vocant. De his, quae faciunt ſuper petras. De ſacris Mercurii vel Iouis. De ſacrificio quod fit alicui ſanctorum. De filacteriis et ligaturis. De fontibus ſacrificiorum. De incantationibus. De auguriis, vel auium, vel equorum, vel boum ſtercoribus, vel ſternutatione. De diuinis et ſortilegis. De igne fricato de ligno, id eſt Nodfyr. De cerebro animalium. De obſeruatione pagana in foco, vel inchoatione alicuius rei. De incertis locis, quae colunt pro ſanctis. De petendo, quod boni vocant S. Mariae. De feriis, quae faciunt Ioui et Mercurio. De lunae defectione, quod dicunt, vince luna. De tempeſtatibus, et cornibus et cocleis. De ſulcis circa villas. De pagano curſu, quem Yrias nominant, ſciſſis pannis vel calceis. De eo, quod ſibi ſanctos fingunt quoslibet mortuos. De ſimulacro de conſparſa farina. De ſimulacris de pannis factis. De ſimulacro, quod per campos portant. De ligneis pedibus vel manibus pagano ritu. De eo quod credunt, quia feminae lunam commendent, quod poſſint corda hominum tollere iuxta paganos. Hactenus *indiculus iſte paganiarum et ſuperſtitionum*, quem Liptinenſi ſynodo cum aliis tribuit cel. I. A. FABRICIVS *bibliotb. graec. vol.* XI. *pag.* 479. vbi plures indicauit auctores, qui hocce monumentum antiquitatis vberius expoſuere. Addatur cel. BVDDEVS in *bibliotb. ſcriptor. rerum Germanicar. pag.* 22. vbi et MSC. ECCARDI commentarium in hunc indiculum commemorat, nec non doctiſſimus CASP. CALVOERIVS, qui in *Saxon. gent. et chriſt.* copioſis doctiſſimisque obſeruationibus lucem eidem haud ſpernendam attulit, *lib. II. cap. VI. toto; part. I. p.* 73. *ſq.* it. DN. DE FALCKENSTEIN *tom. I. antiqq. Nordgau. pag.* 269. *ſqq.* qui luculento commentario illuſtrauit.

g) Ad alteram Celtarum religionis partem iſta pertinent, quam etiam paucis illuſtrabimus. Qui tam praeclare de Deo ſenſiſſe maiores vidimus noſtros, minime miramur, eos de *anima humana* rectiſſime itidem crediſiſſe, veramque tenuiſſe ſententiam. Quum multa poſſent ſuper hoc dogmate diſputari, nos perpauca dicemus

 de

de iis, ad quae veterum de iſto argumento praecipientium loca nos manu quaſi ducunt. Egregie Belgarum ſidus olim fulgentiſſimum, HVGO GROTIVS de *verit. relig. chriſt. §. 22. pag. 79. ſq.* edit. primae ſumme reuerendi CYPRIANI: *Quae antiquiſſima traditio* (nempe de immortalitate animae) *ad populos moratiores paene omnes manauit, vt ex Homeri carminibus apparet, et ex philoſophis non Graecorum tantum, ſed et Gallorum veterum, quos Druidas vocabant* cet. Atque hoc quidem ita verum eſt, vt vnanimis veterum in eo conſenſus facile deprehendatur. Pauca dabimus teſtimonia. CAESAR *lib. VI. cap.* 14. *de B. G. Inprimis hoc volunt* (Druidae) *perſuadere, non interire animas.* AMMIANVS *lib. XV. cap.* 9. *Deſpectantes humana, pronunciarunt animas eſſe immortales.* Videantur et legantur plura apud GVNDLINGIVM *hiſt. phil. moral. pag.* 53. et HECHTIVM *Germ. ſacr. pag.* 29. 30. nec non GVIL. IRHOVIVM *de palingeneſia veterum, ſ. metempſychoſi pag.* 305. *ſq.* itemque ECKARTVM *de Francia orientali pag.* 435. vbi ex mente veterum Germanorum adſerit, animas humanas eſſe diuinae aurae particulas, et guttas veluti diuinitatis, quae poſt mortem in mare illud diuinitatis refluerent. Vid. eius *commentar. Franciae oriental. tom.* I. *fol.* 406. Rationem huius de animae immortalitate dogmatis nonnulli in famoſiſſima illa *μετεμψυχώσει*, ſed, vti mox videbimus, minus feliciter quaerunt; rectius alii in perſuaſione alterius poſt mortem vitae inuenere. Scopum fatentur omnes fuiſſe, vt forent ad bella meliores, vtque, metu mortis neglecto, hoc maxime ad virtutem excitarentur. Bene, praeter VALERIVM MAXIMVM *lib.* II. *cap.* 6. et SILIVM ITALICVM *lib.* I. de Hiſpanis idem tradentem, mentem eorum expreſſit LVCANVS, quum *lib.* I. *v.* 457. ſcribit:

- - Certe populi, quos deſpicit arctos,
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud vrget leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaeque capaces
Mortis, et ignauum rediturae parcere vitae.

Quid vero de alterius vitae ſtatu crediderint maiores, idem porro ſic explicat:

- - Vobis auctoribus vmbrae
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi

Pallida

Pallida regna petunt. Regit idem ſpiritus artus
Orbe alio: longae (canitis ſi cognita) vitae
Mors media eſt.

SCHVRZFLEISCHIVS *opp. hiſt. polit. pag.* 828. eleganter haec verba παραφράζει, ſed ita, vt qui maxime ὑποθέσει τῆς μετεμψυχώσεως δουλεύων cum cautione legendus ſit. Scilicet illi, de immortalitate animarum, principio aliud Celtae noſtri ſuperſtruebant, nimirum *aliam exſpectari debere poſt hanc mortem vitam.* Haec quippe altera erat ad manes vita, demum poſt mortem (quae quaſi inter vtramque hanc et illam media, interuallum et tranſitus eſſet) non tam incipienda quam potius continuanda. Non ad inferos, Erebum aut pallida regna Plutonis animas detrudi, ſed alio, minime tamen deſtructibili corpore veſtiri credebant. Eamdem nobiſcum defendit ſententiam clariſſ. M. DAVID BERNARD, meritiſſimus ſcholae Cizenſis Rector, in *programmate* pereleganti: *de ſtatu mortuorum ex mente veterum Druidum ad LVCANI lib.* I. *verſ.* 404. *ſeq.* Lipſiae 1730. 4. vnica tantum plagula conſtante, atque ſolidis omnino argumentis paradoxam docti cuiusdam ἀνονύμου confutauit opinionem, qua id agit, vt ex his LVCANI verbis oſtendat, priſcos illos Druidas reuiuiſcentiam corporum, inſtaurationem eorum et reſuſcitationem ex mortuis, qualem nos, qui Chriſti ſacris initiati ſumus, nixi oraculorum diuinorum auctoritate, et Iudaei quondam recte ſentientes ſtatuerunt, ſuos docuiſſe. Idem quod LVCANVS, etiam MELA tradit, qui varios inſuper ritus circa funera ipſis obſeruatos addit, e quibus patet, eos de huius dogmatis veritate longe fuiſſe perſuaſiſſimos, intimeque conuictos. Videatur beatus ARNKIEL *Cimbr. Heyden-Religion part.* I. *cap.* 46. *pag.* 270. *ſqq.* cui iungendus clariſſimus KEYSLERVS *antiqq. Celtic. et ſeptentr. cap.* 2. *pag.* 114. *ſqq.* vbi dogmata maiorum noſtrorum de ſtatu animarum poſt mortem explanantur, et multa iucunde de duplici earumdem ſede; iuſtarum quidem in *Gimle* ſ. caelo, iniuſtarum in *Naſtrandis* ſ. inferno, fortium vero animarum in *Valhalla* ſ. felici caeſorum ac bello peremtorum aula, domicilio glorioſiſſimo, eiusque appendicibus, *pag.* 178. proferuntur. Lectu quoque digna habet MR. DES ROCHES dans *l'hiſtoire de Dannemarck*, in *praefationis parte* II. Antea monui, eſſe quosdam aut fuiſſe inter eruditos, qui immortalitatis animarum, a Celtis olim fortiſſime adſertae,

fundamentum in celeberrima illa *μετεμψυχώσει*, quam transanimationem bene cum SELDENO in *Iano Anglor. pag.* 979. latine dixeris, quaerere allaborarint. Et ſane maxima eorum pars eſt, quibus iſta ſententia placuit, adeo, vt ipſe clariſſ. KEYSLERVS in ſequioris, licet verioris, ſententiae patronos inuehatur, ſeque, quod factum doleo, a multitudine reliquorum tamquam a torrente ſit paſſus abripi, quum *pag.* 117. ait: *Non me praeterit, eſſe nonnullos, qui praepoſtero patriae amore adducti, et hunc naeuum* (hanc de transmigratione animarum opinionem) *a maiorum gloria abſtergere nitantur, adfirmantes, a ſolis peregrinis ſcriptoribus, aut ignorantia aut inuidia, abreptis tribui, quod nulla patriae monumenta admittant. At hos refellimus vel ſolo teſtimonio Eddae antiquae, quae Semundo Frode tribuitur* cet. Alii, quum nimis craſſum, atque ab omni veritatis ſpecie alienum hocce PYTHAGORAE *μετεμψυχώσεως* dogma viderent, noſtrorum cogitata maiorum ita emollire tentarunt, vt diſtinctionem maximi momenti inter vtramque ſententiam intercedere fingerent, illam nimirum, quod Pythagoras hominum animas ad pecudes etiam tranſire, Druidae vero ad homines tantum voluerint, quemadmodum explicauit IO. BRANTIVS in *not. polit. ad CAES.* VI. 14. *p. m.* 454. et poſt eum LESCALOPERIVS *l. c. cap.* 17. OBRECHTVS *l. c. pag.* 278. SCHVRZFLEISCHIVS *l. c. pag.* 826. GVNDLINGIVS *l. c. pag.* 54. (m) atque HECHTIVS *l. c. pag.* 30. quibuscum etiam quod poſterius, nempe tranſitum animarum humanarum in alios homines, conſentit IO. AVG. EGENOLFF. *Hiſtor. der Teutſchen Sprache parte* II. *pag.* 204. Sed quemadmodum iſta ſine omni dicuntur fundamento, et a nobis ſupra ad *cap.* I. *§.* IV. *not.* (u) *pag.* 38. euictum eſt, falſiſſime omnium perhiberi, Druidas philoſophiam ſuam debere Pythagorae, ita clariſſ. KEYSLERVS pro nobis ſibimet ipſi reſpondeat ex *pag.* 20. libri eruditiſſimi de *antiquit. Celtic. et ſeptentrional.*, vbi fatetur ingenue, *Eddam* iſtam Islandicam (ſ. monumentum antiquiſſimum, per SNORRONEM STVRLAE Islandiae Nomophylacem anno 1215. compilatum, quod fabulas theologiae ethnicae maiorum noſtrorum vtcumque illuſtrat) *friuolis et ridiculis figmentis ſcatere*, ideoque maximas etiam egiſſe in illo negotio nugas, quas nemo ſapientum facile pro veritatibus obtrudi ſibi patietur. Reliquum itaque eſt, vt alteram illam ac ſaniorem amplectamur ſententiam, dicamusque, crediſiſſe quidem maiores noſtros animas hominum immortales pariter et aeternas, ſed ita, vt neque per bruto-

rum

rum neque per hominum corpora eaſdem tranſire, ſed vitam viuere, pro antea geſtorum ratione, aut feliciſſimam, aut infeliciſſimam, eamque nullo tempore finiendam arbitrarentur. Locus POMPONII MELAE *lib.* III. *cap.* 2. tam clare hoc teſtatur, vt nullam exceptionem admittat. *Vnum*, inquit, *ex iis, quae praecipiunt, in vulgus effluxit, videlicet, vt forent ad bella meliores, aeternas eſſe animas, vitamque alteram ad manes.* Nullam hic ego rationem video, cur alterum ſilentio praeterire μετεμψυχώσεως dogma maluerit, qui prioris meminit, nempe animarum aeternitatis, ſi quidem tam arcte inter ſe vtrumque cohaerere, atque a Druidis doceri MELA reſciuiſſet. Si prius ipſi aut lectum erat, aut ex traditione cognitum, cur non et alterum, ab iſto minime ſeparandum? Taceo nunc alias rationes, quibus noſtrae, quam propugnamus, ſententiae veritatem, a POMPONIO iam olim agnitam adſtruere conatur IAC. MARTINVS *tom.* II. *pag.* 223. *ſq.* atque facile adſentior eidem, dicenti, inepte admodum eos ratiocinari, qui poſita immortalitate animae ſtatim eius etiam transmigrationem ſ. deſcenſum in alia corpora, prorſus inaudita temeritate inferant. *Mais peut on raiſonner plus pitoyablement, que font ces auteurs* (V. C. CAESAR, DIODORVS, VALERIVS MAXIMVS cet.) *d'inferer du dogme de l'immortalité de l'ame admis par les Gaulois, qu'ils donnoient dès-lors dans le ſentiment de metempſycôſe?* Vid. ipſum *pag.* 220. *ſq.* atque iunge etiam *l'hiſtoire literaire de la France tom.* I. *pag.* 37. Laudandus ea propter mihi quoque eſt PHILIP. CLVVERIVS, ceteris multum oculatior, qui *pag.* 219. *German. antiq.* ad iſta MELAE ſupra data verba haec ſubiungit: *non ab alio ad alium tranſire ait animam, quemadmodum Caeſar, ſed in aliam vitam.* Adſtipulatur etiam IAC. CAMPIVS apud SERARIVM *rerum Moguntiacar. lib.* I. *cap.* 15. *pag.* 63. et PVFENDORFIVS *pag.* 61. 62. atque ex conſuetudinibus in funeribus veterum Celtarum obſeruatis, ab iſtis μετεμψυχώσεως patronis recenſitis contrarium euincit; cuius obſeruationibus (lectu ſane digniſſimis, atque coniungendis cum iis, quas dedit MARTINVS *l. c.*) omnem hanc tractationem de theologia Druidum claudere liceat. Ita vero ille *l. c. Exinde factum, vt Soldurii ſaepe ſe in rogos ſuorum, velut in altera vita vna victuri, libenter immitterent.* Idem de Cambaienſibus refert MANDELSLOVIVS, teſtis αὐτόπτης, in *itinerar. p. m.* 80. *ſq.*) *Id quod ſane vix feciſſe crediderimus, niſi ſubſequuturae vitae ſpes firmas in iis radices egiſſet. Et quaeſo, quo fine pecunias darent mutuas, quae apud inferos redderentur,*

rentur, vt habet Valerius Maximus? Et quo fine, quum mortuos cremarent ac defoderent, apta viuentibus olim negotiorum ratio etiam et exactio crediti deferretur ad inferos, vt habet Pomponius, ſi deliram illam animarum transmigrationem ſtatuiſſent? Tu vide ſis ad horum illuſtrationem locum ex PROCOPIO memorabilem, qui de *bello Goth. lib.* II. de Herulorum gente refert: *Herulo viro defuncto, neceſſe fuiſſe vxorem, quae virtutis exiſtimationem conſequi, gloriamque apud poſteros relinquere vellet, laqueo apud viri ſepulcrum, non longe poſt vitam finire, quae hoc facere recuſaret, hanc ignominiae notam manſiſſe, et a propinquis mariti infeſtinationem.* Adde KEYSLERVM, qui *ſectionis* II. *capite* II. integro, *pag.* 114. *ſq.* egregie commentatur de cauſis, quae maiores noſtros impulerunt, vt ſimul cum defunctorum cadaueribus, bellicam aeque ac domeſticam ſuppellectilem, equos, nummos, amicos, ſeruos, vxores, etiamſi ſaepe inuitas et nolentes, condiderint; CLVVERIVM *lib.* I. *cap.* 53. quod eſt de funeratione mortuorum, *pag.* 331. *ſq.* itemque IO. KIRCHMANNVM *de funer. Rom. lib.* III. *cap.* 4. *pag.* 330. *ſqq.* Iungi hic adhuc quaeſtio poteſt, de reſurrectione ex mortuis, quid maiores noſtri ſenſerint? de qua pauca dicemus. Sunt certe, qui creditam ab illis eam exiſtimant, nec omni, quod fatemur, iſti fundamento deſtitui nobis videntur. Quamuis enim forte illa reuiuiſcendi ſpes, qua ſe aluiſſe priſcos Germanos teſtatur APPIANVS, apud ARNKIEL, *part.* I. *pag.* 259. ambigue huc trahi queat, non tamen ſpernendum arbitramur MELAE teſtimonium, qui quum de Thracum ad oppetendam mortem alacritate diſſerit, variamque id perficere opinionem ait, mox addit: *Alii redituras putant animas obeuntium; alii etſi non redeant, non exſtingui tamen, ſed ad beatiora tranſire: alii emori quidem, ſed id melius eſſe, quam viuere*, *lib.* II. *cap.* II. Quo ipſo effato dum ſuffragium quoque fert iis, quae antea ex illo pro immortalitate animarum a maioribus noſtris credita adduximus, ſatis ſimul manifeſte illorum de reſurrectione ex mortuis fidem prodit, qua de procul dubio iſtum animarum reditum intelligendum eſſe, non autem de *μετεμψυχώσει* accipiendum, nemo non videbit. Et haec eſt, niſi fallimur, iſta de *ἀναβιώσει* ſententia, quam vna cum aliis veterum creditam a Druidis tradit I. C. HARENBERGIVS in *idea iuris diuini, quod theologorum eſt in conuincendo et refutando pag.* 12. per quam tamen illos *corporis ſubtilis* e corpore craſſo demortuo *euolationem cum ipſa anima* intellexiſſe vir doctiſſimus mauult. Ceterum naeniis potius, et lepidis

dis fabellis, quam veritati propiora eſſe iudicamus, quae de reſurrectionis ſymbolo, leone ſcil. refert SCHEDIVS *de diis Germ. ſyngr.* III. *cap.* 7. lectoris iſta iudicio plane relinquentes.

h) Videatur et expendatur CLVVERIVS *pag.* 209. 218.

§. III.

Ex *phyſicis* Druidarum dogmatibus pauca ſuperſunt, quae propter aenigmaticam docendi rationem nonniſi dubiam interpretationem admittunt. Veriſimile eſt, *mundi creationem* illos agnouiſſe, etſi de modo, quo iſta contigerit, non ſatis conſtet. i) *Finem* illius ac *interitum* igne aliquando et aqua fieri debere, ſunt qui eos credidiſſe perhibent. k)

i) Ex iis, quae in ſuperioribus de antiquiſſima Celtarum aetate ac religione diſputauimus, colligere omnino datur, fieri potuiſſe, vt illam de condito mundo veritatem, ab aliis etiam populis cognitam, ex traditione maiorum acceperint puram et illibatam, quam vero temporis ſucceſſu fabuloſis tectam inuolucris mirum in modum corruperunt, adeo quidem, vt paene nulla priſtinae ſinceritatis veſtigia remanſerint. Interim non ſine cenſura placida dimittenda nobis videntur, quae de origine huius a maioribus agnitae veritatis diſputat vir ſuo merito celebris, TROGILL. ARNKIEL, vbi *part.* I. *pag.* 89 90. operis praeclari, *der Cimbriſchen Heyden-Religion*, ſequentem in modum diſſerit: „Allem Anſehen nach haben unſere Vorfahren von der Welt Schöpffung Wiſſenſchafft gehabt, „ auſs dem durch die Apoſtel oder Apoſtoliſchen Männer in dieſer, „ Nordiſchen Welt gepredigten Worte Gottes, durch die alte Sage, „ fortgepflanzt, angeſehen dieſelben erkannt, daſs die Welt, „ von Gott auſs einem Kloſs und ungeſtalten Weſen erſchaffen, und „ zwar erſtlich der Himmel, hernach die Elementen, zulezt die beyden, „ erſte Menſchen herfür gebracht, welches nachgehends auſs, „ Stifftung des Satans mit Fabeln iſt verdunckelt worden. Daſs die, „ Welt-Schöpffung auſs dem Licht der Natur probabiliter könne, „ erkannt werden, lehret auch die Heil. Schrifft, Pſal. XIX. 2. „ Rom. I. 20. Weiſh. XIII. 3. 4. 5. Allein ſo hell und klar iſt nach, „ dem Fall das Licht der Natur nicht, daſs daſſelbe die Art und Weiſe, „

„ſe der Welt-Schöpffung beleuchtigen ſollte, cet.„ Quum de maioribus Cimbris, ſalutari euangelii luce nondum colluſtratis, auctori doctiſſimo in antecedentibus ſermo ſit, ipſeque vir beatus concedat, creationem huius vniuerſi vel ex ſolo etiam naturae lumine probabili ratione poſſe elici, ſuffragante inſuper Scriptura Sacra, non video, quo iure tanti doctrina momenti demum per ſanctiſſimos Chriſti legatos Cimbris ethnicis innotuiſſe cenſenda ſit, quum eorum ingenii in ratiocinando et cognitione rerum non minor habenda ſit ratio, ac reliquorum gentilium, qui ſolo naturae ductu ex contemplatione ſtupendae huius vniuerſi pulcritudinis Deum creatorem, i. e. ens omnium ſupremum, potentiſſimum ac ſapientiſſimum agnouere, etſi, quod omnes fatentur, nec tempus nec modum tanti operis definire, omni reuelationis lumine carentes, potuerint, hinc et pudendis fabularum aſſumentis, dogma ingentis pretii conſpurcauerint iuxta ac obfuſcauerint. Quomodo vero exiſtentia, potentia et diuinitas aeterna numinis ex vniuerſo hoc, rebusque in eo obuiis, et cognoſci potuerit a gentilibus, et agnita ſit, oſtendit praeclare CORNEL. ADAMI in *exercitt. exegeticis pag. 632. ſqq.* Adde b. IO. CHRIST. WOLFII *curas philol. et crit. in Rom.* I. 20. *pag. 25.* Quum igitur neque STRABO, (qui tamen alterum de mundi interitu dogma tetigit, vti poſtea dicemus) neque alii e veteribus de ortu mundi ex mente Druidarum quidquam retulerint, cui tuto innitamur, in tanta ſyſtematum Phyſicorum, quae ex hiſtoria philoſophiae nobis innotuere, varietate vnicuique fas erit eligere, quod omnium facillime cum ceteris Druidarum hypotheſibus conciliari poſſe ipſi videtur. Nobis quidem, ſaluis aliorum hypotheſibus, prae reliquis arriſiſſe fatemur ea, quae Benedictinae in Galliis familiae ſocius longe doctiſſimus occaſione ſolemnis receptionis oui anguini (cuius meminit, tamquam inſignis Druidarum celebratiſſimi PLINIVS *lib.* XXIX. *cap.* 12. quod etiam nouiſſime obſeruauit EVERHARD. OTTO, ICtus longe celeberrimus, in *iurisprud. ſymbol. pag.* 62.) coniectatur de ſublimiori quodam doctrinae momento, hocce ſub ritu magico latente. Non repetam hic multis verba PLINII, quum apud SCHEDIVM legi poſſint *p. m.* 620. ſed illud tantum addo, non abſque ratione credere MARTINVM *tom.* II. *pag.* 107.* *de la relig. des Gaul.* PLINIVM multa differentem, de maxima illius oui ſerpentum intra Gallias fama, ſtupendisque viribus eius, et neſcio quam miris

effe-

Digitized by Google

effectibus a Druidis ipſi tributis, in cortice tantum haeſiſſe, ad nucleum autem minime penetraſſe. Illa igitur veritas, quam teſte LAERTIO Druidae cum reliquis ſchematibus obſcuratam dedere, *originem mundi ex ouo*, qualem ORPHEVS et veteres crediderunt Aegyptii, forte docuit ac denotauit ex mente Druidarum, qui cum oriente reliquo eamdem ſunt amplexi. Anſam huic fabulae atque errori turpiſſimo inepta dedit interpretatio verborum, quibus ſacratiſſimus vtitur MOSES, quum *Geneſ.* I. 2. incubationem Spiritus S. ſuper aquas deſcribit. Idea namque incubationis auium ſuper pullos nondum excluſos, alarum expanſionis, calefactionis et ſimilium effecit, vt per modum oui mundum peperiſſe Dei Spiritum veteres crederent, vt ouum antiquius gallina facerent, voluerintque, vt omnium rerum ortum et antiquitatem complecteretur, quemadmodum ACHILLES TATIVS et PLVTARCHVS apud THOM. BVRNETIVM *archaeolog. philoſ. pag.* 156. teſtantur. Conf. BAIERVM *ad SELDEN. de diis Syris pag* 290. et cel. FABRICII *hydrotheol. pag.* 322. *ſq.* Quae porro de *Cneph*, mundi huius opifice creatoreque ſupremo ex Aegyptiorum antiquiſſima theologia profert EVSEBIVS *praepar. euang.* III. 11. *pag.* 115. ea ita comparata ſunt, vt eumdem laſciuientis ingenii pruritum ex male accepta verborum Moſaicorum interpretatione oſtendant. Deus enim iſte Cneph, qui ex ore ſuo ouum mundanum effudiſſe narratur, idem eſt ac Deus T. O. M. qui omnipotenti ſuo verbo hoc vniuerſum ex nihilo produxit. Conf. HVETII *demonſtr. euang. prop.* IV. *cap.* IV. *§.* 8. et ſumme reu. MOSHEMII *obſ. ad CVDWORTHI ſyſt. intell. vniuerſi pag.* 567. *ſq.* Plura de iſto naſcentis mundi myſterio non addimus, quum et notiora ſint, quam vt a nobis fuſe repetantur, et ab aliis maximi nominis viris limatius ſint pertractata, ſpeciatim a beato BVDDEO *hiſt. eccleſ. V. T. tom.* I. *pag.* 140. IO. ANDR. SCHMIDIO *diſſ. de ouo mundano* Ien. 1693. ESCHENBACHIO *pag.* 66. et 112. *ſqq. Epigenis, ſ. de poeſi Orphica*, BVRNETIO *l. c.* itemque ZORNIO *tom.* II. *opuſc. ſacr. pag.* 418.*

k) STRABONEM innuo, qui *lib.* IV. haec ita refert: ἀφθάρτους λέγουσι τὰς ψυχὰς καὶ τὸν κόσμον. ἐπικρατήσειν δέ ποτε πῦρ καὶ ὕδωρ. *Animas interitus expertes ſtatuunt, item et mundum, aliquando tamen ignem et aquam ſuperatura.* Vnicus eſt, ſi probe memini, STRABO, qui iſta Druidis dogmata adſcribit, quare neſcio, etſi magni ceteroquin opti-

mae notae ſcriptorem facio, num ille mentem eorum recte ceperit, an vero deceptus ab aliis eiusmodi ſine vlteriori examine litteris tradiderit? Quod ſi vera eſſe largiamur, quae ſcribit, magnam omnino deprehendemus conuenientiam huius theſeos cum illa ſyſtematis philoſophiae PLATONIS ac STOICORVM parte, qua finalem rerum huius vniuerſi omnium conuerſionem et ἀποκατάστασιν per ignem et aquam, magno illo anno vertente, ſtatuebant. Audiamus ex multis CICERONEM, qui in *ſomn. Scip. p. m.* 432. *propter eluuiones*, inquit, *exuſtionesque terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modo non aeternam, ſed ne diuturnam quidem gloriam adſequi poſſumus.* Illuſtrat locum eruditiſſime DAN. WILH. TRILLERVS, criticus ac medicus excellentiſſime doctus, in *commentario, conſiderationibus poeticis*, vernacula lingua ſcriptis, inſerto, quem vide. Neque Stoicos tantum aut Platonicos iſta docuiſſe conſtat, ſed antiquiſſimos etiam orientis populos, Aegyptios (quorum μετεμψυχώσεως ſ. migrationis animarum periodus demum poſt tria annorum millia finiebatur, mundi autem reuocatio et conuerſio per ἀποκατάστασιν intra tria et triginta annorum millia) Chaldaeos, aliosque, de quibus non CLVVERIVS tantum *pag.* 225. et SCHEDIVS *pag.* 480. ſed PETRVS quoque DANIEL HVETIVS *lib.* II. *cap.* 21. *quaeſt. Alnetan.* IAC. THOMASIVS *pag.* 62. *de exuſt. mundi Stoic.* et H. C. TRICHORIVS *muſ. Brem. vol.* II. *pag.* 132. *ſqq.* Addendi his quoque b. ARNKIEL *part.* I. *cap.* 44. *pag.* 264 *ſqq.* HEIDEGGERVS *hiſtor. patriarch. part.* I. *exercit.* XIX. *p. m.* 582. *ſqq.* BVRNETIVS *theor. telluris ſacr. lib.* III. *cap.* VII. et FABRICIVS *ſyll. ſcript. de verit. rel. chriſt. pag.* 714. *ſq.* Videmus ceterum, Druidas, ſi modo iſta ſtatuiſſe cenſendi ſunt, veri aliquid et falſi admiſiſſe. Verum erat, diluuio illo vniuerſali terrarum orbem aliquando obrutum, et tantum non deletum eſſe, quemadmodum ex ſacris litteris conſtat, et memoriam inſuper illius vniuerſa gentium theologia habuit, prouti demonſtrarunt CLVVERIVS *l. c.* BVDDEVS *l. c. tom.* I. *pag.* 183. et PETR. ZORNIVS *opuſcul. ſacr. tom.* I. *pag.* 38. 39. Falſum e contrario, terrarum orbis panolethriam igne ſimul et aqua, ſ. exuſtionibus atque eluuionibus denuo inſequuturam; quum ea, quae de inſtanti rerum omnium in ſupremo die conuerſione Deus nobis reuelauit, iſta nec doceant, nec cognita ab Druidis, ethnicis quippe hominibus, vmquam fuerint. Addunt alii, mundi renouationem a veteribus Germa-

Germanis creditam adſertamque fuiſſe. Vid. DOÈDERLINI *antiqq. gentiliſmi Nordgauienſ. pag.* 74. Sit fides huic rei penes illius auctores.

§. IV.

Multa praeterea fuiſſe dicitur l) eorum diſputatio de ſideribus atque eorum motu, m) de mundi ac terrarum magnitudine, n) de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate. o) In temporum obſeruationibus noctes numerabant, p) atque auſpicatiſſima rerum agendarum primordia lunae deberi credebant. q)

l) Vid. CAESAR *de B. G. lib.* VI. *cap.* 14.

m) Egregie monet ad *h. l. Caeſaris* HOTOMANNVS, ineptos eſſe eos, qui PLINIVM *lib.* XVIII. *cap.* 25. ſcripſiſſe perhibent, Celtas aſtrologiae ſtudioſos non fuiſſe, ſiquidem, vbi ait, *Africam, Hiſpaniam, Galliam ſileri, non erit mirum; nemo enim obſeruauit in iis, qui ſiderum proderet exortus:* tantum velit, Gallos ſ. Druidas potius nihil eorum, quae de hiſce tradebant, litteris mandaſſe, vti ex antecedentibus nouimus. Immo poſſemus, niſi praeſcriptos tranſire limites prohiberemur, multa cumulare, quae Gallorum Germanorumque gentem ſuperſtitionibus vaniſſimoque aſtrologiae ſtudio ſenſim cum tempore deditiſſimos olim fuiſſe docerent. Vti vero nulla gens ethnica reperta eſt, in qua cultus aſtrorum non fuerit primaria pars religionis, quemadmodum probe hoc obſeruatum, exemplisque probatum CLEFFELIO *pag.* 470. *antiqq. Germ.* ita maiores noſtros aſtronomiam inter ſacra ſtudia repoſuiſſe, atque eos, qui contemplationi aſtrorum operam dare conſueuerant, pro ſacris quaſi perſonis habuiſſe, mirum nemini videri debet. Conf. idem in ſequentibus *pag.* 471-474. Nec tamen, iſta dum profitemur, negamus, multa bonae frugis circa obſeruationem aſtrorum ab ipſis eſſe prodita, etſi nos lateat, quales quantosque fecerint in aſtronomia progreſſus. Specimen inter ea iſtorum dabunt illa, quae de eclipſi lunae a C. Sulpicio Gallo, tribuno militum, praedicta Romanis militibus in bello Macedonico, refert LIVIVS *lib.* XLIV. *cap.* 37. qui exinde *Gallos Romanis militibus ſapientia prope diuina viſos* addit.

Digitized by Google

n) Si non eadem, quae veteres Chaldaei, Perſae, Aegyptii cet. ſimilia certe, parumque diſcrepantia ſtatuiſſe Celtas maxime veriſimile eſt. Lege CLVVER. *lib.* I. *cap.* 33. *pag.* 228. et conf. MOSHEMIVM *ad Cudworth. pag.* 13. (6)

o) Forte reſpicit ad ea CAESAR, quae ſupra de prouidentia diuina maiores docuiſſe noſtros oſtendimus. Vid. §. II. *huius cap. not.* e) *pag.* 63.

p) CAESAR *lib.* VI. *cap.* 18. *Spatia*, inquit, *omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt, et dies natales, et menſium et annorum initia ſic obſeruant, vt noctem dies ſubſequatur.* Scilicet antiquum tempora numerandi morem a noctibus retinuere, illum, cuius ipſe Deus auctor erat *Geneſ.* I. 5. illum, quem mortalium vetuſtiſſimi ſacrum ſemperque ſolemnem habuerunt, quod pluribus oſtendunt viri doctiſſimi, CLVVERIVS *l. c.* SCHEDIVS *pag.* 490. KEYSLERVS *l. c. pag.* 197. DITHMARVS *pag.* 69. *ad Tacit.* Adde b. AEGID. STRAVCHII *diſſ. de computo veterum Germanor.* Witteberg. 1661. Alia proinde ac longe praegnantior huius conſuetudinis cauſa fuit, quam illa Caeſaris ingenio prodita, quae a fabuloſa Ditis ſ. Plutonis, noctis ac tenebrarum domini, progenie repetitur; qua in re nobiſcum conſentit vir doctiſſimus HERM. VLR. A LINGEN *opuſcul. Germ. part.* I. *p.* 8.

q) Sacram Celtis fuiſſe lunam, et fauſta omnia habita, quae aut inchoata illa aut impleta ſuſcipiebantur, quamuis ſine ratione in dubium vocet KEYSLERVS *pag.* 256. teſtatur inprimis TACITVS *cap.* XI. *de morib. Germ. Coeunt, niſi quid fortuitum et ſubitum inciderit, certis diebus, quum aut inchoatur luna aut impletur. Nam augendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt.* Non autem Germani ſolum, ſed populi omnes boreales lunam magis quam ſolem venerati, et in ea tamquam in πανθέῳ, et totius virtutis caeleſtis receptaculo, reliqua numina complectebantur; prout haec adferuntur in NOVIS ACTIS ERVDITORVM, ex EVER. OTTONIS libro *de tutela viarum publicarum*, Traiecti ad Rhenum 1731. 8. edito, quem et *pag.* 81. de Dea Nehalennia, tamquam GVNDLINGIO in deriuatione vocis ὁμόψυφον euoluere iubent *pag.* 502. *ad ann.* 1732. Conſule etiam DN. DE BÜNAV *tom.* I. *der Teutſchen Kayſer- und Reichs-Hiſtorie pag.* 53. FABRETTVM *bibliotb. Lubec. vol.* III. *pag.* 48. *ſqq.* et ECCARDVM, qui *tom.* I. *Franciae oriental. pag.* 427.

Digitized by Google

427. *ſeq.* docet, lunae defectiones ſ. eclipſes ſuperſtitioſe illis fuiſſe obſeruatas, *vti noua luna*, inquiens, *cum gaudio et tripudio excipiebatur, ita deficiens non ſine triſtitia adſpiciebatur, eique acclamabatur: vince luna; tamquam ſi a ſole impugnaretur.* Idem et *pag.* 439. lunae feminas imperare poſſe, creditum ab antiquis oſtendit. Huc omnino referendum quoque caput eſt in *indiculo paganiarum* obuium, quod de lunae defectione, quod dicunt: vince Luna, inſcribitur, ad cuius illuſtrationem CALVOERIVS ſequentia notauit: „Weilen die Heyden den Mond,„ für einen Gott hielten, von welchem ihnen viel Gutes herab flöſ-„ ſe; als wurden ſie auſs Unwiſſenheit der natürlichen Urſachen ſehr„ conſternirt, wann der Mond verfinſtert wurde, auſs imagination,„ das deliquium lucis käme her auſs einem deliquio animi, alldie-„ weilen der Mond etwan bezaubert wäre, oder ſonſt Noth litte,„ und dahero ſein Licht und Krafft verlöhre: darum meynten ſie die-„ ſem ihrem Gott zu helffen mit Trompeten-Schall, Paucken, Trom-„ meln, Klingung mit den Becken, ſie ſchrien, *vince luna*, um mit„ ſolchem Geſchrey den Mond aufzumuntern.„ - - *pag.* 81. *Saxon. inferior. antiquae gentil. et chriſtianae.*

§. V.

In iis porro, quae ad philoſophiam practicam ſ. moralem ſpectant, maiores noſtros multa bene praecepiſſe, quum ex antiquorum teſtimoniis conſtet, r) non eſt, quod ambigamus. Abſurdus tamen ille foret, qui ſyſtematicam nobiliſſimae diſciplinae formam, qualem hodie habemus, iam olim apud eos obtinuiſſe ſibi perſuaderet.

r) Valet hic quidem inprimis illud TACITI: *plus ibi* (apud Germanos) *boni mores valent, quam alibi bonae leges; de morib. Germ. cap.* 19. Sed et STRABO hic iterum in partes nobis vocandus eſt, qui *l. c.* perhibet, eam, quae de moribus et vitae bene componendae rationibus praecipit, philoſophiae partem a maioribus valde fuiſſe cultam. Πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι, *vltra phyſiologiam etiam philoſophiam moralem tractant.* Ad tria forte officiorum genera, quae hominibus erga Deum, ſemet ipſos, et alios in ſocietate ſecum viuentes praeſtanda ſunt, reduci poſſent, quae ſummatim tradit

tradit LAERTIVS, dum eos docuiſſe ſcribit: σέβειν θεοὺς, καὶ μηδὲν κακὸν δρᾷν, καὶ ἀνδρείαν ἀσκεῖν, *Deos eſſe colendos, nihil mali faciendum, fortitudinem exercendam.* Sed aliis haec placeant, nobis non item, qui probe nouimus, a priſca philoſophandi methodo quam longiſſime iſta recedere, nec niſi coacte ad veterum Celtarum mentem applicari. Felicius in hoc negotio verſantur, qui ex dogmatibus eorum theologicis, vero de Deo ſenſu rectoque illius cultu, ita tamen, vt ſupra fecimus, explicando, et credita immortalitate animae colligunt, totam morum doctrinam apud Celtas quoad plures officiorum gradus et partes profluxiſſe. Vberius hoc demonſtrat GVNDLINGIVS *hiſt. philoſ. mor. pag.* 54. *ſqq.* quem legiſſe multum proderit. Adde SCHEDIVM *de diis Germ. ſyngr.* II. *cap.* XIII. *pag. m.* 425. *ſqq.* et PETRI FRID. ARPI *ferias aeſtiuales pag.* 383. Num ſcriptas olim leges habuerint, nemo temere definiuerit, quum nec CAESAR, nec TACITVS, nec alii mentionem earum fecerint vllam. Vid. CONRING. *de orig. iur. Germ. cap.* I. Immo ſcriptas non habuiſſe propterea veriſimile eſt, quod nefas exiſtimauerint, aliquid mandare litteris, magnoque verſuum numero, diſcipulis intra viginti demum annos pertinaci diligentia ediſcendo, omnem philoſophiam, ſacra, leges, ac reliqua vitae praecepta incluſerint. Conſentit illuſtr. BÜNAV, dum *pag.* 54. *tom.* I. *der Reichs-Hiſtorie* inquit: „Vielleicht haben ſie ihre Geſetze in Reimen und Lieder gebracht, und durch „Abſingen fortgepflantzet, eben wie ſie mit den Geſchichten ihrer „Vorfahren, und mit den Thaten ihrer Helden zu thun gewohnet „geweſen.„ Contrarium vero tuetur TAILLEPIED dans *l'hiſtoire de l'eſtat et republiques des Druides, part.* I. *pag.* 83. atque collectionem quamdam legum ciuilium ſcripto comprehenſarum et habuiſſe Druidas Gallicos, et quod amplius, Platonem eamdem euoluiſſe ineptiſſime autumat. *Platon avoit mis les nez par tout, et aux loix de Moyſe, et aux livres des Gaulois Druides, qui avoient entre eux quelque amas et recueils des loix civiles.* Idem eo uſque procedit, vt antiquiſſimas illas XII. tabularum leges et inuentas et litteris conſignatas eſſe in Druidarum muſeis ſibi perſuadeat: *Auſſi faut il dire des loix des douze tables inventées et eſcrites dedans les cabinets des nos Druides.* Tandem ne operae aliquid deſit, eas Gallorum antiquorum leges, quas quidem ipſe cognouit, variis ex auctoribus, CAESARE, STRABONE, F. PATRICIO collectas, in forma publicorum edictorum lectoribus proponit, numero

numero viginti, infra parte II. a nobis exhibendas. *Reliqua quod attinet placita*, vt PVFENDORFII verbis vtar, *pag.* 60. *eadem et ſcriptorum penuria et ſeuera lex, qua doctrinae promulgatio prohibebatur, nobis inuiderunt.* Quae vero ad priſcam Germanorum viuendi rationem pertinent, ea perſequitur TACITVS egregio, *de moribus Germanorum* libello, (omnibus, qui non humi repere, ſed ad altiora componere animum didicerunt, omnibus inquam, quibus rerum et antiquitatum patriarum cognitio curae cordique eſt, numquam ſatis commendando) et ex eo aliisque collecta exhibet CLVVERIVS *German. antiq. lib.* I. a *cap.* XIII. ad XXII.

CAPVT III.

De Druidarum abolitione et interitu.

§. I.

AD finem iam vergit noſtra de Druidis commentatio, cui ne quid deſit, pauca de illorum interitu et abolitione ſubnectemus. Quumque ſupra Britanniae, tamquam primae Druidarum patriae mentionem fecerimus, nunc porro referre iuuabit, pagana Druidum ſacra ex feliciſſima iſta inſula per Lucium regem, qui primus Chriſto nomen dedit, fuiſſe ſublata. a) Eorumdem item religionem apud Gallos dirae immanitatis ciuibus interdixit Auguſtus, b) ſuſtulit ex vrbe Roma Tiberius, c) penitus abolere tentauit Claudius, d) Romanorum imperatores.

a) Contigit hoc ſaeculo a C. N. ſecundo. Vid. SELDENVM *analect. Anglo-Britannic. pag.* 896. FRID. SPANHEMIVM *opp. tom.* II. *pag.* 389. *ſqq.* et VSSERIVM *antiquit. eccleſ. Britann. cap.* III. IV.

b) SVETONIVS in *Claudio cap.* 25. Incertum videtur, quo ſenſu vocabulum, *ciuibus*, in iſto loco exſtans capiendum ſit, num de ſolis Romanis intelligendum, an vero etiam ad Gallos trahendum? quos ciuitatis iure cum aliis peregrinis deuictis populis, ac hoſtibus antea Romanorum, gauiſos olim eſſe luculenter conſtat. Euolue illuſtris EZECH. SPANHEMII *orbem Roman. pag.* 93. edit. celeb. HEINECCII, vbi Galliae Comatae, ſ. Tranſalpinae primoribus datam ſub Auguſto ſine iure ſuffragii ciuitatem erudite probat.

c) PLINIVS *lib.* XXX. *cap.* 4. *pag.* 728. *tom.* IV. edit. HARDVINI. *Namque*, ait, *Tiberii Caeſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum*, (Gallorum) *et hoc genus vatum medicorumque*.

d) Verba SVETONII ante citata haec ſunt: *Druidarum religionem apud Gallos dirae immanitatis, et tantum ciuibus ſub Auguſto interdictam, penitus aboleuit*, nempe Claudius, cuius hic vitam deſcribit. Conſentit SENECA in *ἀποκολοκυντώσει*, ſ. *ſatyra Menippea de morte Claudii*, itemque AVRELIVS VICTOR in *Claudio*. Quum vero pugna quaedam PLINIVM inter ac SVETONIVM appareat, dum ille Tiberio tribuit, quod Claudio vindicare hic adnititur, varia ratione vtrumque conciliare tentarunt critici. Alii ſe ita extricare conantur, vt dicant, eumdem eſſe imperatorem a PLINIO nominatum et SVETONIO, atque in nominibus tantum eſſe variatum, ſiquidem PLINIVS pronomine Tiberium, SVETONIVS nomine Claudium appellauerit, quum integrum eius nomen fuerit, Tiberius, Claudius, Nero, Druſus. Ita argumentatur SCHVRZFLEISCHIVS *opp. polit. hiſtor. pag.* 831. et LESCALOPERIVS *theol. vett. Gallor. cap.* 19. Alii cum IVSTO LIPSIO ita conciliant, vt Tiberium in vrbe quidem Roma, Claudium vero in Gallia delere voluiſſe dicant. Huc refer G. I. VOSSIVM *de idololatria lib.* I. *cap.* 35. MERVLAM *part.* II. *lib* III. *pag.* 42. *Coſmograph* edit. Blaeuianae, Amſterd. 1613. in 12. excuſae, 10. BRANTIVM *not. in Caeſ.* VI. 13. *de B. G.* Alii denique neglectam Tiberii ac paene antiquatam legem renouaſſe Claudium noua eaque ſeuera prohibitione adauxiſſe, et priſtinam auctoritatem reddidiſſe cenſent. Atque hanc quidem prae ceteris amplectimur ſententiam cum MARCELLO DONATO *not. ad Tacit. annal.* XIV. 30. TILLEMONTIO dans *l'hiſtoire des Empereurs tom.* I. *part.* I. *pag* 411. edit. Bruxell. in 8. et MARTINO *tom.* I. *de la relig. des Gaul. pag.* 229. Ceterum nec ſpernenda eſt illa verborum iſtorum interpretatio, qua non tam ad litteram, quam potius ad ſenſum reſpiciendum eſſe, viri docti contendunt, ita quidem, vt ſublatos non quidem penitus a Claudio Druidas omnes, ſed abolita praecipue immania hominum ſacrificia, ab illis adhuc fieri ſolita, indicari a TRANQVILLO exiſtiment, quum Druidarum ipſorum veſtigia paſſim, vt mox videbimus, in ſequentibus temporibus occurrant. Ita quidem ſtatuere videmus Monachos Benedictinos erudititſſimos, auctores *de l'hiſtoire literaire de la France tom.* I. *pag.* 42. tum et BVCHERIVM *Belgii Rom. lib.* V. *cap.* IV.

IV. *pag.* 160. atque IOAN. SELDENVM, qui poſt adductum SVETONII *loc. cit. lib.* I. *de ſynedriis vett. Ebraeor. pag.* 1007. *vol.* I. *tom.* II. *opp.* ita pergit: „Sed de humanis apud eos hoſtiis potius accipiendum „ videtur illud, quam de diſciplina ipſorum reliqua, quae etiam poſt „ Claudium in vſu, adeoque exemplo hic eſſe potuiſſet. Certe de „ Druidarum regimine Dio Pruſaeus plane loquitur vt de eo, quod „ ſuo in aeuo nondum omnino euanuerat, vtcumque de religione „ eorum, ſeu dira illa in hoſtiis immanitate, ſic ante ſtatuiſſet Claudius. „ Floruit autem Dio ille ſub Traiano. Et conſule, ſi vis, „ quae de Druidibus poſtea vigentibus, habent viri docti. * Certe „ ſub Veſpaſiano, ſeu annis poſt Claudium quaſi XX. Druidarum „ diſciplinam floruiſſe in Galliis et Britanniis manifeſtum videtur „ etiam e Plinio (*hiſt nat. lib.* XVI. *cap.* IV. et *lib.* XXX. *cap.* I.) vtcumque „ Tiberium ſuſtuliſſe Druidas Gallorum et hoc genus vatum medicorumque „ ſcripſerit etiam ipſe; quod de vrbe Romana ac vicinioribus „ forſan prouinciis, non de Gallis aut Britannis, etiam ex „ ipſius verbis videtur ſumendum. „

§. II.

Non tamen penitus exſtirpari potuiſſe horrendos paganae crudelitatis ac ſaeuae ſuperſtitionis ritus, ſed per aliquot ſaecula remanſiſſe, veterum ex monumentis doctiſſimi homines demonſtrarunt, e) vſque dum vel tandem exuta feritate, ſalutari euangelii lumine colluſtrati maiores Chriſto nomen dare, et paullatim a tenebris ad lucem tranſire didicerunt.

e) IS. CASAVBONVS Suetonii locum: Druidarum religionem penitus aboleuit; ita παρέφρεξεν: hoc eſt, *edicto iuſſit aboleri, exercerique vetuit. Sed non obtinuit Claudius. Commentar. in Sueton. pag.* 463. Probarunt enim PETR. PITHOEVS *aduerſar. ſubſec. lib.* I. *cap.* 3. LAEVINVS TORRENTIVS *comment. in Sueton. ad h. l.* itemque MARTINVS *tom.* I. *cap.* 29. *et* 32. ex antiquorum ſcriptis, non ita ſuſtuliſſe Claudium hor-

* Forcatul. *lib.* I. P. Merula *Coſmogr. part.* II. *lib.* III. *cap.* 11. Lipſius *ad Tacit. annal.* XII. *num.* 98 Salmaſius *ad Lamprid. p.* 237. Ant. Goſſelin *hiſt. vett. Gallor. cap.* 35. aliique de rebus Gallicis, Germanicis, Britannicis.

horrendam Druidarum ἀνθρωποθυσίαν, et barbaram conſuetudinem, humanas immolandi victimas, vt non in ipſa quoque Roma, et reliquis prouinciis, Gallia praeſertim, longo poſthac tempore feritatis abolitae veſtigia (qualia erant ſortilegia, aruſpicia, fontium auguria, diuinationes daemonum, incantationes, ſacrificia mortuorum, aliaque nefanda ſacrilegia, quorum apud CASP. SAGITTARIVM *antiqq. gentiliſmi Thuring. lib.* I. *cap.* III. §. 4. mentio) remanſerint. Conf. MELLINI *Sueuia gentilis pag.* 34. Certe WILHELM. KYRIANDER in *annal. Auguſtae Treuerorum part.* III. *pag.* 36. vbi de abolita per Claudium Druidarum religione diſſerit, locumque SVETONII adduxit, ſtatim ſubiicit: *Sed publicus idolorum cultus in Gallia manſit vſque ad tempora Conſtantini M. cuius edicto iuſſuque Deorum arae ſubuerſae, templa clauſa ſunt. Ita Dii, in aedes paucorum diuitum compulſi, deinceps in culminibus, veluti bubones delituerunt, Auentino teſte lib.* II. *annal. Boior. de Conſtantini temporibus ex Hieronymo.* Neque minus *ad PLIN.* XVI. 95. HARDVINVS diu etiam poſt inductam Chriſti religionem inualuiſſe adſerit in Gallia, Italia, Germania, Africa aliisque locis arborum lucorumque cultum, in quo euellendo multum inſudarint pontifices, regesque ipſi; ad DV CANGII ſimul gloſſarium voc. *arbor*, remittens. Et adeo quidem diu remanſerunt abolitae iſtius feritatis veſtigia, vt ſaeculo poſt C. N. ſexto etiamnum ac ſeptimo religionis truculentae reliquiae deprehendantur. Tanta vis eſt ſuperſtitionis, vt eradicari ſe vix patiatur; quum ſaepe veritatem homines temere deſerant. Ceterum adſtipulamur b. IAC. THOMASIO, qui in eruditiſſima *de vagantibus ſcholaſticis* diſſertatione §. 121. *ſqq.* friuolam CONR. GESNERI opinionem, in *Mithridate* ſuo *polyglotto cap.* 2. alibique proditam, explodit, qua is ſibi fruſtra perſuaſit, fuiſſe olim ſcholares illos erraticos, ſaec. XV. celebres, atque *die fahrenden Schüler* dictos, reliquias Druidarum, e Gallia quondam pulſorum in Germaniam, quum nullum probatae fidei teſtem aut veteris aeui monumentum ad ſtabiliendam ſententiam ſuam GESNERVS adduxerit, quod inuitare nos magnopere queat, vt ſuffragium illi noſtrum adiungamus.

DE

Digitized by Google

DE
DRVIDIS
PARS II.

OPVSCVLA RARIORA INTEGRA
ITEMQVE EX ALIIS EXCERPTA
TVM ET
CATALOGVM SCRIPTORVM DE DRVIDIS
COMPLECTENS.

Digitized by Google

PETRI LESCALOPERII
S. I.
THEOLOGIA
VETERVM GALLORVM.

DENVO RECVSA.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

QUando ſuperioribus libris ſua cuique adiecta eſt appendicula, primo quidem Ariſtotelis, philoſophorum facile principis, ſecundo vero principis item poematum Homeri theologia; tertius hic liber omnium breuiſſimus, vt ſors aequa ſit trium librorum, aliquo huiusmodi additamento deſtitui non debet. Itaque ex multiplici nationum omnium religione, totis libris olim abs me ſedulo perueſtigata, ne meus omnis labor ad irritum caderet, vnam ſelegi veterum Gallorum theologiam, quam huic poſtremo libro, totique *humanitati theologicae* veluti corollarium apponerem. Ac ſpero equidem illam non omnibus iniucundam fore, praeſertim Gallis hominibus, qui pulchro quodam, et honeſto ſciendi ſtudio ducti, cognoſcere res ſuas in primis auent, non huius modo temporis, quae vulgi ante oculos verſantur, ſed etiam anteacti, ad quae aciem intendere propter longinquitatem paucorum, et ſapientum eſt. Quamuis enim haec veterum Gallorum theologia tota fere ſit in errore poſita; tamen vt habet praeteriti periculi ſecura recordatio voluptatem, ſic aperti erroris certa cognitio delectatione carere non poteſt. Itaque primum inquiram, an quondam Galli Deum aliquem agnouerint, et merito proſequuti ſint honore? Deinde in communi mortalium omnium caecitate, quos ſibi Deos, et cuius apud illos exiſtimationis adſciuerint? Tertio loco, cuiusmodi perſonae ad religiones et ſacra procuranda praepoſitae? (vbi varias illarum ſectas, mores, inſtituta placitaque deſcribam.) Quarto, templane habuerint? Quinto, quibus ſacrificiis ac ſuperſtitionibus Deos ſuos demeruerint, aut placarint? Sexto denique,

nique, quos ritus in ſuorum funeribus obſeruarint? Quae omnia breuiter complecti, quoad in tanta rerum copia fieri poterit, enitar.

CAPVT I.

An Galli Deum aliquem honorarint?

MARCVS CICERO vult fuiſſe absque omni fide ac religione Gallos, quod ita poſtularet Marci Fonteii cauſa, quam tum agebat, vt illis omnem cum religione fidem adimeret, ne quid Indutiomari cuiusdam, aliorumque Gallorum teſtimonia, quae contra Fonteium adferebantur, apud iudices valerent. Huc transſcripſi verba ipſa CICERONIS, quae noſtris auribus iucundiſſima ſemper accidunt, vel quum appetunt noſtros populares.

An vero iſtas nationes religione iurisiurandi, ac metu Deorum immortalium in teſtimoniis dicendis commoueri arbitramini? quae hoc a ceterarum gentium more ac natura diſſentiunt, quod ceterae pro religionibus ſuis bella ſuſcipiunt, iſtae contra omnium religiones. Illae in bellis gerendis ab Diis immortalibus pacem ac veniam petunt; iſtae cum Diis ipſis immortalibus bella geſſerunt. Hae ſunt etiam *nationes, quae quondam tam longe ab ſuis ſedibus, Delphos uſque ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum orbis terrae vexandum ac ſpoliandum profectae ſunt. Ab iisdem gentibus ſanctis, ac in teſtimonio religioſis, obſeſſum Capitolium eſt, atque ille Iupiter, cuius nomine maiores noſtri ſanctam teſtimoniorum fidem eſſe voluerunt. Poſtremo his quidquam ſanctum ac religioſum videri poteſt, qui etiamſi quando aliquo metu adducti, Deos placandos eſſe arbitrantur, humanis hoſtiis eorum aras ac templa funeſtant? vt ne religionem quidem colere poſſint, niſi eam ipſam prius ſcelere violarint,* cet. Plura videre licet in *orat. pro Marco Fonteio, ſect.* 20.

At CICERONI reclamat IVLIVS CAESAR, nulli cauſae ſeruiens, qui res Gallicas in adminiſtranda prouincia, belloque gerendo, non auditione tantum, ſed oculis acceperat longoque vſu tractarat. Tantus ergo imperator non modo Gallicum nomen ea ſuſpicione liberat, ſed etiam Gallos omnes admodum religioſos facit in *commentario de bello Gallico, lib.* VI. vbi de Gallis vniuerſe ita pronunciat: *Natio eſt omnis Gallorum admodum dedita religionibus.*

Reclamant et alii permulti ſcriptores magni nominis, IVSTINVS, LIVIVS, LVCIANVS, DIONYSIVS HALICARNASSEVS. Recentio-

Digitized by Google

centiores omitto, qui omnia propria Gallicae gentis vel numina vel idola, et eorum ſacra paſſim enarrant ac recenſent. Scilicet: *Nulla gens tam fera, nemo omnium tam eſt immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum religio*, inquit ipſe CICERO *Tuſculanarum quaeſtionum lib.* I. ne Gallis quidem tum exceptis, quum nullius ciuis ſui dignitati et commodo, ſed ſoli veritati ſtuderet.

CAPVT II.

Qui Gallorum Dii fuerint, ex IVLIO CAESARE.

GAlli quondam impenſius armis, quam litteris dediti, cum res ab ſeſe bello praeclare geſtas, tum religioſa ſua myſteria, quae per manus dumtaxat poſteris ſuis tradebant, nuſquam in publicum ediderunt. Itaque quum nullum ab illis exſtet auitae religionis monumentum, cogimur alienis hominibus hac in parte fidem habere, immo et hoſtibus: quis enim capitalior Gallorum hoſtis, quam CAESAR, qui libertatem illis eripuit? Hic tamen CAESAREM prae ceteris conſulere debemus. Licet enim breuius, quae ad religionem pertinebant, perſtrinxerit, quum vnum fere bellum propoſitum haberet, vix tamen antiquiorem ac certiorem rerum Gallicarum ſcriptorem inueniemus, qui de Diis Gallorum plura paucis verbis docuerit. Sic habet *lib.* VI. *de bell. Gall.*

Deum maxime Mercurium colunt. (Idem plane de Germanis TACITVS libro de morib. Germ.) *Huius ſunt plurima ſimulacra, hunc omnium inuentorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quaeſtus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Poſt hunc, Apollinem et Martem, et Iouem et Mineruam: de his eamdem fere, quam reliquae gentes habent opinionem: Apollinem morbos depellere; Mineruam operum atque artificiorum initia tradere; Iouem imperium caeleſtium tenere; Martem bella regere.*

CAPVT III.

An alii fuerint Gallorum Dii, quam quos CAESAR modo recenſuit, et quibus nominibus appellati.

NOn deſunt tamen, qui contra CAESAREM contendant, Gallos habuiſſe plane diuerſos a Graecis Romanisque Deos: certe diuerſi nominis fuere Gallorum Dii: Teutates, Belenus, Heſus,

M Tara-

Digitized by Google

Taranis. Sed video paſſim totis ſcriptoribus Teutatem habitum eſſe pro Mercurio, Belenum pro Apolline, Heſum pro Marte, Taranem pro Ioue. Quae Dea Gallis fuerit Mineruae loco non comperi. De ſingulis aliquid dicamus.

Teutates.

TEutates hic, vel, vt alii ſcribunt, Theutas, aut Theutates, nonnumquam cum duplici adſpiratione Theutates, plerisque videtur idem fuiſſe, qui ΘΕΥΘ Theuth Aegyptiorum, Graecis Ἑρμῆς Τρισμέγιστος, Hermes, Mercurius, Triſmegiſtus. Id ſuadent vtriuſque nominis affinitas, et earumdem artium inuentio. Idem ad Germanos, Longobardos Hiſpanosque peruaſit: nam Teutates Mercurius Germanorum exſiſtit, inquit ANNIVS VITERBIENSIS, *comment. in* ſuum illum *Beroſum*, vt aiunt, ſuppoſititium. Fidei melioris eſt PAVLLVS DIACONVS, qui Teutatem a Longobardis cultum eſſe tradit *lib.* XVIII. itemque LIVIVS, qui *lib.* XXVI. tumulum quemdam nouae Carthagini vicinum, *Mercurii Teutatis* nomine ab Hiſpanis dictum eſſe ſcribit in haec verba: *Quod vbi verſus Scipio in tumulum, quem Mercurium Teutatem appellant, aduertit* cet. Eiusdem *Teutatis* dirum ſacrificium LVCANVS, et LACTANTIVS poſt paullo notaturi ſunt, quum de ſacrificiis agemus. Quo immani ſacrificio, ſi quod inerat in Teutate diuinae ſapientiae veſtigium, id vero penitus confuſum, atque opertum erat.

CAPVT IV.

Belenus.

DE Beleno paſſim occurrit mentio in libris atque lapidibus: in libris quidem, apud IVL. CAPITOLINVM in *Maximinis*, apud HERODIANVM *lib.* VIII. vbi *de Maximin.* apud AVSONIVM in commemoratione *profeſſ. Burdegal.* apud TERTVLLIANVM in *apologet.* vbi Belenum facit Noricorum Deum. Omitto recentiores, vt vetuſtos ad lapides veniam, qui nomen Beleni altius inſculptum ad haec uſque tempora ſeruarunt. Viſuntur enim hodieque Venetiis arae Beleno nec non Belino dicatae, illuc e dirutae Aquileiae rude-

ribus

ribus deportatae, quarum hae leguntur inſcriptiones, multoque plures aliis in locis:

BELENO
MANSVETIVS
VERVS
LAVR. LAV.
ET VIBIANA
IANTVLLA
V. S.

Item APOLLINI BELLENO G. AQVILEIENS. FELIX	Item. APOLLINI BELENO. AVG. IN HONOREM C. PETTI. C. F. PAL. PHILTATI. EQ. P. cet.	Item. BELENO AVG. SACR. I. CORNELIVS I. FIL. VELL. SECVNDINVS AQVIL. cet.

Item. BELEN. AVG.
IN MEMOR.
IVLIOR. cet.

Vide integras apud GRVTERVM in *inſcr. antiq.* Praeter has inſcriptiones affert SCHEDIVS *ſyngramm.* I. *cap.* VII. *de Diis Germanis* Cunobelini regis Britanni numiſma, in quo caelatus Belenus lyram pulſans. Et, quod mirum videri poteſt, in Graeco Beleni nomine numerum dierum inuenit, quibus ſol curſum annuum conficit, quod facile demonſtratur: dicitur enim Graece Βήλενος. Porro β valet 2. η. 8. λ. 30. ε. 5. ν. 50. ο. 70. ς. 200. Qui quidem numeri ſi colliguntur, trecentos et quinque ſupra ſexaginta dies omnino conficiunt, quibus annus circumſcribitur. Atque haec Belenum Gallorum non alium, quam Apollinem fuiſſe oſtendunt. Nonnulli tamen eumdem faciunt Belenum cum Aſſyriorum Belo. Sed ipſum Beli nomen tum ſoli, tum reliquis Diis attributum inuenio: *Bel* enim apud Aſſyrios Deum ſonat. SERVIVS in *lib.* I. *Aeneid. Omnes in iis partibus ſolem colunt, qui ipſis Bel dicitur.*

Sed Mithrae quoque Perſico nomine, quod dominum ſonat, ſolem in Gallia, ſaltem a quibusdam eruditis viris dictum olim fuiſſe ſuſpicari licet, tum ex vetere quodam epitaphio, (quod ad funera Gallorum referuamus) tum ex alia canae antiquitatis inſcriptione,

Digitized by Google

ne, Lugduni iam dudum reperta. Porro, quod de Beleni Graeco nomine mox attuli, videlicet eo comprehenſum dierum numerum, quibus annus definitur, idem pariter in hoc vocabulo Μίθρας nonnulli obſeruatum volunt, eumdem dierum numerum myſticis quibusdam notis contineri; quae quidem notae mihi ſunt incompertae. Certe hunc ipſum numerum Perſis longe apertius repraeſentabant trecenti iuuenes, qui Magos puniceis amiculis velati ſequebantur: vti refert CVRTIVS. Et Gallis quidem, ſed caecis hic Belenus, ſiue Mithra ſuis radiis *patrem luminum* indicabat.

CAPVT V.

Heſus.

PRo Heſo quidam Heüm, nonnulli Eſum ſine adſpiratione, alii Ieſum ſubſtituunt, vel Ieſum ſub Heſi nomine cultum volunt, futili plane commento, quod etſi forte aliquam pietatis ſpeciem habet, nullam profecto habet veritatis. Vero ſimilius diuinant, qui Heſum, quaſi Veſum, ſiue Veſſum appellatum volunt (ſic Heſperus pro Veſpero dicitur) Veſus autem fortem ſonat. Ita SERVIVS in *Virgilium*, qui fortes ait appellatos eſſe Veſſos (vnde vox Gallica *Vaſſaux*) Nam qui opulentiores erant, agros fortibus viris diſtribuebant, tamquam ſuis clientibus. Nec abludit Hebraea vox *izzuz* i. e. fortis. Porro nullum conuenientius nomen illi Deo, quem pro Marte habebant, imponi potuit, quam quod a fortitudine ductum eſt.

Praeter LVCANVM et LACTANTIVM iam ante laudatos, EVSEBIVS Heſi mentionem facit, multique alii recentiores philologi.

Atque hic Heſus quaedam Gallis vmbra fuit veri Dei, qui Deus fortis, Deus Sabaoth haberi dicique amat.

CAPVT VI.

Taranis.

VAriant ſcriptores in hoc nomine, nec in numine quidem ſatis conſentiunt: nam a quibusdam *Taramis*. LVCANVM ego ſequor et illius grauiſſimi poetae doctos interpretes, a quibus conſtantiſſime *Taranis* appellatur: quem alii ſequantur, ex antiquis ſcripto-

Digitized by Google

ſcriptoribus haud ſcio. Quamuis autem pro Ioue, vt dixi, vulgo ſit acceptus, tamen (vt eſt admodum anceps et obſcura miſellorum deaſtrorum memoria) ab aliquibus Apollo putatus eſt, vel quiſpiam ejusmodi Deus, medendi ſcientia conſpicuus: dictusque *Taranis*, quaſi *homines repurgans* (eam vim barbarae vocis eſſe volunt.) Ita memini me legere in quodam MS. codice R. P. CAVSSINI, quo auctore, non memini; ſed integerrimi doctiſſimique viri magna per ſe eſt auctoritas. Quod ſi quis in Tarane medico Iouem tueri volet, tot inter Ioues facile medicum aliquem inueniet: puta Iouem *ἰξακεςήριον*, *qui ſanandi ſiue curandi vim habeat*, apud HESYCHIVM *παρὰ τὸ ἐξακέω*, *ſano*, *curo*. Sed forte non eſt neceſſe illam purgandorum hominum facultatem ad vim medicam referre: atque ita in Tarane repurgante agnoſci poterit Iupiter ille *καθάρσιος*, piacularis, cuius eſt mentio apud PAVSANIAM in *Eliacis*, et ara deſcribitur in *Olympia;* immo verus Deus, qui abluit ſordes filiarum Sion *Iſaiae cap. IV.* 3. qui emundat ipſe argentum, et purgat filios Leui, quaſi ignis conflans, et quaſi herba fullonum. *Malachiae III.* 2. *et* 3.

CAPVT VII.

Samothes.

AD communes illos omnium Gallorum Deos, quos CAESAR commemorauit, et alios adiicere licet ex aliis ſcriptoribus. Prae ceteris antiquiſſimus ille *Samothes* ſeſe offert, Noëmi nepos, vt perhibent, ex Iapeto, cuius quartus filius fuit, idemque Gallici regni fundator, ſi qua BEROSO, qualem habemus ab ANNIO, fides eſt. Is autem ea cauſa Diis Gallicis adnumerandus videtur, quod cum Dite confundatur, quem Deum inferorum vulgo dixere. Ac ſiquidem olim inſana mortalium pietas ſui generis auctores diuinis honoribus proſequuta eſt, facile adducor vt credam *Samothem*, ſiue Ditem, quo patre Galli gloriabantur, ab iisdem in album Deorum adſcriptum eſſe, quum praeſertim magnis illum honoribus a Gallis affectum ſciam. Audiatur CAESAR, a quo BEROSVS ANNII nonnihil accipit firmamenti: *Galli ſe omnes ab Dite patre prognatos praedicant, idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam cauſam ſpatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt. Et dies natales, et menſium et anno-*

Digitized by Google

annorum initia ſic obſeruant, vt noctem dies ſubſequatur. Lib. VI. *de bello Gall.* Tum ergo diei noctem Galli praetulerunt. At Deus lux eſt, et tenebrae in eo non ſunt vllae. 1. *Iob. I.* 5. Sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. *Iob. III.* 19. Nihilominus vel in ipſo Samothe principe tenebrarum radius quidam illuxit illius Dei abſconditi, qui poſuit tenebras latibulum ſuum: vel vt habet Chaldaeus, qui collocauit maieſtatem ſuam in caligine.

CAPVT VIII.

Gallicus Hercules.

GAllicum Herculem, (cui *Ogmio* apud veteres Gallos nomen erat) Diis Gallorum accenſeo cum LVCIANO Samoſatenſi: et eius effigiem ex eodem ſophiſta hic veſtros ante oculos pono, fidus interpres.

„Is Hercules non robuſto aetatis flore vigens et viribus integer, „vti a Graecis aſſolet, ſed decrepitus ſenex a veteribus Gallis depi„ctus erat, partim caluus, partim canus, rugis arata cute, et mirum „in modum atra, vt ſi diutius ſolis ardoribus eſſet exuſta. Senicu„lum aliquem portitorem, aut vetulum Charontem, aut grandem na„tu Iapetum, aut ſi quem alium legiſtis apud inferos longaeuorum in „ſenatu ſedere, fuſco et contracto vultu referebat. Citius alium quem„libet, quam Herculem ex fronte dixiſſes: at quamquam os illi fuit „eiusmodi, nihilominus Herculis amictus gerebat. Nam ex leo„nis indutus erat exuuio, et clauam dextra et laeua tenſum ar„cum praeferebat, pharetra ex humeris pendente. Porro in„gentem hominum multitudinem trahebat, omnes ab auri„bus reuinctos: vincula fuerunt catenae tenues ex auro electro„que fabrefactae, pulcherrimis monilibus perſimiles, quas quidem „Hercules non manu prehenſas tenebat, vtraque iam impedita; ſed „(quod miremini) ſummae linguae, quae illi pertuſa erat, quadam „veluti fibula adhaereſcebant. Et licet adeo molli laxoque nexu te„neretur vincta multitudo, nemo tamen fugam cogitabat, nemo re„luctabatur, aut contra obnixus retrocedebat; ſed laeti omnes feſti„que vltro ſequebantur, quocumque traheret, immo ducem ſuum ci„tato curſu non raro praeuertebant, quem laudibus proſequebantur.

Digitized by Google

Atque haec fuit Gallici Herculis pictura, quae oculos eruditos requireret. Si quis autem reconditam doctis coloribus vel vmbris eloquentiam non ſtatim agnoſcit, commodum habet in LVCIANI Hercule virum, Graecis perinde, vt patriis litteris eruditum probe, e ſapientiſſimis, opinor, Druidibus vnum aliquem, qui rem totam haud cunctanter exponat. Sic igitur ille:

Magnam illam dicendi vim Galli, non in Mercurio, vt Graeci, „ agnoſcimus, ſed eam attribuimus Herculi, propterea, quod hic Mer-„ curio longe corporis animique robore praeſtantior fuerit. Neque „ vero mirari debet quisquam, quod ſenior is Hercules fingatur; ſo-„ la quippe oratio conſueuit in ſenecta vigorem abſolutum exſerere, „ ſi modo vere cecinerunt grauiſſimi poëtae: „

Obduci iuuenum denſa caligine pectus:
Contra ſenectam poſſe quiddam dicere
Rudi iuuenta doctius.

Hinc ſcilicet apud HOMERVM *Iliados α.* Neſtoris tercentum annos „ nati, ex ore cano mel profluit; et Troiani oratores e patribus le-„ cti, liliatam ac floridulam vocem emittunt. Itaque ſi trahit homi-„ nes ab auribus reuinctos noſter hic Hercules, trahit quoque oratio, „ ac blandiſſime ducat rapitque auditores quamcumque in partem, „ propter eam, quae illi eſt, cum audiendi ſenſu cognationem. Non „ autem ad contumeliam illi perforata lingua eſt, quaſi homini gar-„ rulo, vel maledico, vti fert comicum illud: „

Siquidem loquacibus
Extrema lingua perforata eſt omnibus.

Denique noſtrum Herculem virum ſapientiſſimum nihil non dicen-„ di vi, qua pollebat, perfeciſſe, perſuaſum nobis eſt, vrbesque deui-„ ciſſe, ac populos vltro ſubmiſſos ſuam in fidem accepiſſe. Nec ve-„ ro aliud innuunt ipſius tela, quam acutas ac ſubtiles ſententias, quae, „ quaſi miſſiles, et cito ac confertim vibratae ſagittae non corpori-„ bus, ſed ipſis animis alta vulnera infligunt. Quoties Homericum „ illud recantatum eſt? „

Ἔπεα πτερόεντα προσηύδα,
Verba alata cecinit.

Hacte-

Digitized by Google

Hactenus Gallici Herculis interpres. Ego vero in Hercule Gallico, tamquam ſubluſtri noctis in vmbra diuinum verbum, (ſi fas) totius eloquentiae caput videre mihi videor, quod ſemel auditum in terris, omnes homines ad ſe pertraxit, vti promiſerat ore prophetico, *in funiculis Adae*, *in vinculis caritatis. Oſeae* XI. 4.

CAPVT IX.

Quercus, et aliae arbores a Gallis cultae diuinis honoribus.

PRimum omnium conſtat Gallos Iouem ſuum, quem Taranem, vti diximus, patria lingua nominabant, non aliis in ſimulacris coluiſſe, quam in proceris quercubus, MAXIMO TYRIO teſte, cuius haec verba ſunt in *oratione* XXXVIII. Ἄγαλμα Διὸς Κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς, id eſt, *ſimulacrum Iouis Celticum excelſa quercus.* Hanc autem arborem ſuſpicor a Gallis vel eo nomine cultam, quod ſacrum ex ea viſcum legerent, praeſentiſſimum omnibus malis, vt ſibi quidem perſuadebant, remedium (quod infra ſumus per otium retractaturi.) Neque Gallorum modo, ſed aliarum etiam gentium fuit haec communis in quercus religio.

Porro ea ſuperſtitionis, ni fallor, praetexta cauſa fuit: ſcilicet ex quercubus durum hominum genus credidit ſe natum. Antequam enim eſſent ad habitandum aedificia conſtructa, paſſim in ſiluis, ferarum more, in excauatis quercubus degebant vitam, vnde quum prodirent, quaſi recens in lucem ex roboris vtero mitti ſe putabant. Adde, quod glande ipſa veſcebantur, quam illis eaedem arbores ſubminiſtrabant, vt vnae quercus generis humani parentes, altrices, cuſtodes eſſe viderentur. Nec in ſolis quercubus ſe continuit vana religio, alias quoque arbores, totasque adeo ſiluas peruagata eſt: quas LVCANVS, poeta grauiſſimus, *lib.* VII. *de bello Pharſalico* infandis ſacrificiis funeſtatas canit. De quibus alias opportunior erit dicendi locus.

Gandauenſes, in ceteris Belgicae populis, dicuntur apud SVRIVM in *vita beati Amandi* nullo diſcrimine arbores et ligna coluiſſe. In *rebus geſtis* diui *Martini* memorabilis eſt victoria, quam veterano ab hoſte retulit. Annoſa et ingens arbor fuit, in qua conſederat

Digitized by Google

ſederat daemon, tam obſtinato animo, vt ab ea nullis precibus, nullis, quos vocant, exorciſmis deturbari poſſet. Inde magnum veſana religio ceperat incrementum. Non tulit D. Martinus impune regnare ſuperbum ſathanam vel vna in arbore: illam igitur, qua valebat apud omnes auctoritate, protinus exſcindi iubet; ſed ea lege ſibimet impoſita, vt cadentem arborem exciperet ipſe ſuo corpuſculo. Nihil terret caſus arboris, quem

Si fractus illabatur orbis
Impauidum feriant ruinae.

Exſcinditur arbor ab imis radicibus. Martinus ſola munitus fide, quae illi erat pro muro, quam in partem ruitura ſit, periculi ſecurus exſpectat. Omnes ſancti viri capiti, ac vitae timere, ſolus Martinus ſtetit interritus, et eo vultu, qui prae ſe fiduciam ferret: neque caſum declinauit, vel latum vnguem, ſed vno ſalutiferae crucis oppoſito ſigno, immanem arborem, quum iam in eum corrueret, procul ab ſeſe auertit.

Porro Gallorum ſilueſtri, vt ita dicam, religioni fauiſſe viſus eſt Stoicus SENECA *epiſtola* XLI. vbi haec ſcribit: *Si tibi occurrit vetuſtis arboribus, et ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, et conſpectum caeli denſitate arborum aliarum alias promouentium ſubmouens, illa proceritas ſiluae, et admiratio vmbrae in aperto tam denſae atque continuae, fidem numinis facit.* Haec ille. Cui adſtipulatur PLINIVS *lib.* XII. *cap.* I. *Nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulacra, quam lucos, et in iis ſilentia ipſa adoramus.* Et vero vmbroſum illud ſiluarum ſilentium per ſe neſcio quid horroris parit, cuius reuerentia fere eſt comes: eamque ob rem olim multi viri ſanctitate clariſſimi illas ſibi ſedes delegerunt, quas colendo Deo et religioſis exercitationibus ſcirent eſſe peridoneas.

Quod autem Gallos in quercubus Chriſti Domini crucem adoraſſe nonnulli dictitant, ſcilicet ex quercu olim conficiendam, id vero religioſi cuiusdam commenti ſpeciem habet, re ipſa nihil habet veritatis; quod nefanda, quae in illis lucis fiebant, ſacrificia poſt paullo manifeſte oſtendent. Lubens tamen in quercu, quae viſcum ferret, praeſens omnibus malis remedium, obſcura velut in imagine, Seruatoris crucem agnoſco, quae medicum ſimul, et noſtrarum omnium calamitatum medicinam tulit. Hactenus de communibus omnium Galliarum Diis: etſi non dubito, quin alii quo-

Digitized by Google

que fuerint, ſed minus celebrati, vt puta Saturnus, Dii Auerrunci, cet. Nunc venio ad proprios et peculiares vrbium aut prouinciarum Deos.

CAPVT X.

Carnutum Dea virgo paritura.

GRande miraculum orbis, *virgo paritura*, grande priuilegium Galliarum, partus virginis, longo ante tempore praeuiſus; quamquam quid priuilegium appello, quod multis aliis perinde gentibus commune cum Gallis fuit? Non eſt quod ceteris nationibus hanc gratiam inuideamus: nihil de publico beneficio nobis deperit: et qui naſciturus ac moriturus erat patenti in loco, omnium cauſa, communis ſui praeſagia debuit omnibus impertire: et quae communem mortalibus vniuerſis Saluatorem erat editura, communibus oſtentis paritura virgo praemonſtranda erat. Itaque quod multis ante Chriſti natalem annis euangelicus propheta cecinerat: *ecce, virgo concipiet, et pariet filium;* illuſtre hoc prodigium Aegyptiis reuelatum fuiſſe, auctor eſt diuus EPIPHANIVS, ab diuino item vate HIEREMIA, cuius eſt illud: *femina circumdabit virum.* Ac deinceps Aegyptii parituram virginem magno in honore habuerunt; quin ſoliti ſunt puerum effingere iacentem in praeſepi, qualis poſtea in Bethlehemitica ſpelunca Chriſtus natus eſt.

Apud Graecos Argonautas pariturae virgini templum, reparato vellere aureo conſecraſſe ſcribit VALLADERIVS, *decimo octauo partitionum orator.* Romani quoque Sibyllinis ex carminibus admirabilem virginis partum ſubodorati ſunt: adeoque ipſi Auguſto, Romanorum imperatorum maximo, ſublimem in aëre virginem, infantulum in gremio geſtantem, ſe viſendam exhibuiſſe, quum Apollinem conſuleret, memini me legere in *apparatu ad annales eccleſiaſticos* eminentiſſimi Cardinalis BARONII.

Neque his Europae atque Aſiae finibus contenta, extremam Aſiam vltra Garamantas et Indos pariturae virginis fama peruaſit: nam refert GONZALES, qui *Sinarum hiſtoriam* ſcripſit, Luſitanos quosdam, quum in regnum illud, tum quidem exteris hominibus imperuium, et in hoſpitale, clam penetraſſent, templum ingreſſos eſſe,

eſſe, intus et extus inauratum, in quo poſtquam omnia diligentibus oculis perluſtraſſent, inter infinita, quae illic erant, ſimulacra, *pariturae virginis* effigiem conſpicati ſunt.

At ſecundum diuina prophetarum oracula, quae nefas eſt in dubium reuocari, nullibi certius virginei partus prognoſticon fuiſſe putem, quam apud Carnutas, noſtra in Belſia, Gall. *la Beauſſe.*

Rem dico admirabilem, omni tamen fide dignam, quam faciunt antiquiſſima Carnutenſis eccleſiae monumenta faſtique, ac qui ex illis erutam tanti prodigii memoriam typis vulgarunt probatiſſimi ſcriptores; et in recentioribus quidem P. FRANC. POYRAEVS, acri iudicio vir, integritate ſingulari, ac tenera in Deiparam pietate inſignis, qui *triplicem coronam,* quae hodie eſt omnium in manibus, pio ſane et religioſo artificio excellentiſſimae, potentiſſimae, optimae matri contexuit.

Itaque ſic a maioribus acceptum referunt; ſignum Carnutenſis virginis, quod hodieque viſitur, quondam exciſum eſſe in ſacra Carnutum ſilua, et priſci regis, procerumque illius gentis vnanimi conſenſu per Druidum manus, ſanctiore quodam in antro collocatum, ac conſecratum *virgini pariturae:* ſiue id myſterium ex oraculis Sibyllinis aut propheticis intellexerunt, ſiue acceperunt diuinitus, extraordinaria reuelatione. Moriens Priſcus coronae, ac ditionis ſuae Carnutenſis heredem ſcripſit *virginem parituram.* Quae autem occaſio nouae illi religioni fecerit initium, ita narratur.

Quum inter Gallos magna quaedam exorta eſſet diſſenſio, nullaque interpoſita magiſtratuum auctoritate graues irae ſedarentur, ac iam eo ventum eſſet, vt omnia publicis contentionibus labefactata peſſum ruerent, cuipiam viro graui, ad reſtinguendum tantum incendium, ſi quis alius, idoneo, imago coelitus eſt oblata, cuius in baſi haec inſcripta verba: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.* Hanc ille imaginem quum Gallis, qui in vnum conuenerant, palam oſtendiſſet, pauca, quae ſibi monſtrante Deo, reuelata fuerant, praefatus, ſic derepente omnium animos affecit permouitque, nemo vt abeundum ſibi domum putaret, priuſquam reconciliata pax eſſet. Ergo alii alios arcte complexi, ſibi inuicem, quidquid peccatum erat, condonarunt. Porro ad perennem tam fortunatae reconciliationis memoriam, pariturae virginis imaginem

 expreſ-

expreſſerunt, quam ſummo deinceps honore ſunt proſequuti. Haec fere RIGORDIVS.

Iam tum credebatur haec animorum potentiſſima reconciliatrix, quam hodie hoc toto regno pacis reginam omnes imploramus, nec vti videmus, in caſſum. Necdum erat, et iam pacis erat artifex; necdum pepererat pacis principem, et iam pariebat pacem; nec obſes erat modo, vel arrha, ſed praeſes, ſed ictus, ſed vinculum pacis. Exſpectabatur olim mortalibus cum partu datura pacem, et Gallis mirificam tranquillitatem vltro ante partum ferebat. Quamquam anticipata illa pax, ſi vere loqui velimus, pignus dumtaxat fuit futurae cum Deo reconciliationis, quae paullo poſt partum virgineum, conuerſis ad Chriſtum Carnutibus, feliciter obtigit.

Poſitum hoc pariturae virginis ſimulacrum tradunt ante Chriſti natalem, annos circiter centum. Poſt vero labente tempore, quum diuus Potentianus vna cum Albino et Edoaldo in Gallias ab Apoſtolo principe legatus eſſet, Carnutes nullo fere negotio ad Chriſtum adduxit, et antrum aramque ac pariturae virginis imaginem Chriſtiano ritu conſecrauit: nec quidquam ſaeuiente Quirino, qui tum temporis pro Romanis prouinciam adminiſtrabat, cuius immaniſſimo decreto quam plurimi e nouo grege Chriſtiani, adeoque ipſius Quirini filia, cui *Modeſtae* nomen erat, in altiſſimum puteum, virginis arae proximum, deturbati ſunt: puteum inde *ſanctorum fortium* appellant.

Quin fama eſt Carnutes Hieroſolymam ea tempeſtate deſtinaſſe legatos, qui virgini adhuc ſuperſtiti, tamquam dominae ſuae, communi omnium nomine, publico ſacramento ſe, ſuamque fidem adſtringerent, rogarentque vti humiles ſubditos in clientelam acceptos vellet: quo factum eſt, vt eam ſaepe alii, tum ipſa ſe virgo *Carnutum Dominam*, eo titulo plurimum delectata, nuncuparet.

At poſtquam rex Ludouicus, glorioſae ac triumphantis memoriae princeps, iuſto cognomento *Iuſtus*, ſe, ſuaque omnia, ſceptrum, coronam, vniuerſas ampliſſimi regni prouincias regiis litteris palam virgini matri ſubiectas voluit, tanto priſcis regibus ſuperior, quanto in virginem Deiparam profuſior, non iam Carnutum dominam dicemus te, *virgo parens!* quantula iſta eſt regni tui portio? Sed Francorum, ac totius Francici, quod per te amplificatur in dies, imperii

imperii reginam, quotannis redintegrata pietate, idibus Auguſti, ſolemni ſupplicatione, feſta voce, plauſuque ſecundo proclamabimus. Dominare virgo Deipara ex tua illa caeleſti ſede: dominare, regna, impera Francis, Ludouici Iuſti iuſtiſſimo decreto. Tuis in primis regem Ludouicum, muneratoris tui filium, maternis conſiliis rege: ac demum commune Francorum votum redde tuis iterum e coelo pacem.

Annuis, o regina! et ecce, dum haec iam pridem a me ſcripta publicis typis in lucem emitto, poſt diuturni ac luctuoſi belli annos omnino quinque et viginti, acceptis vtrimque conditionibus, Galliam inter et Hiſpaniam, pacis, niſi per te non ſperandae, ſacroſancta denique federa ſanciuntur. O quis tibi, reconciliatrix talibus pro meritis dignas perſoluat grates? Regem adde regno, rex Ludouice! teque ipſum non minus, quam populos tibi ſubiectos, patris tui regis exemplo, reginae Mariae clientem ac ſeruum profitere: ſic bene tua, tuorumque Francorum nomina, quibus paciferae virgini obſtringimur, expedies, quum regiam ſeruies ſeruitutem, ſic pacem regno virgineo, ſic regnum virginea pace firmabis.

CAPVT XI.

Nonnullorum veteris Galliae populorum peculiares Dii.

CORNELIVS TACITVS *annalium libro primo*, celeberrimum apud Marſos, hodie Cliuienſes, *Tanfanae* templum a Germanico Caeſare ſolo aequatum narrat, quum gentem illam indomitam ferro flammisque peruaſtaret. Quis vero Deus? Quae Dea? quaerit eo Taciti loco IVSTVS LIPSIVS, idemque ſibi reſpondet. Quidam ἐτυμολογίζουσι, quaſi eſſet *Taenfanct*: quod lingua noſtra,, principium rerum. At Britanni priſci *Tan* ignem vocant.,, Ita IVSTVS ille.

Phocenſes gentis ſuae Deos Maſſiliam, quam condidere noſtra in Gallia, ſecum adduxerunt, Delphicum Apollinem, et Epheſiam Dianam. Nec dubium, quin Romani nouorum Deorum turbam in Gallias, cum iugo ſeruitutis, importarint. Certe ſimulacrum Auentinae Dianae apud eosdem Maſſilienſes collocarunt: et Quintus Fa-

Digitized by Google

bius Maximus Aemilianus, quum ducenta Gallorum millia ad confluentem Iſarae et Rhodani profligaſſet, duo templa illic fundaſſe traditur, alterum Herculi, alterum Marti: quae quidem omnia ex *lib.* IV. STRABONIS expreſſimus.

Fertur *Leucotoë* (eadem omnino, quae Dea *Matuta*, aut *Matutina Mater* in faſtis Romanis) ſedem praecipuam et cultum Pariſiis obtinuiſſe: vnde *Lutetiam*, quaſi *Lucotetiam*, potius quam a luco, dictam volunt.

Ita Rhotomagum a quodam idolo, cui *Rhot* nomen erat, et *Mago* ſecundo Gallorum rege nomen traxiſſe perhibent, quod idolum poſtea Millus Rhotomagenſis epiſcopus deturbauit e ſede, eiusque templum ſanctiſſimae Trinitati dicauit.

Namurcum, a Deo *Namo* vel *Nano*, qui, quum ea in vrbe ſua oracula redderet, Chriſto nato ſiluit.

Quin Auguſtus Caeſar, quum adhuc eſſet in viuis, caeleſtium honores apud Lugdunum inuenit (qua de re plenius ſuo loco dicturi ſumus.) Itemque Druſo, Claudii Caeſaris genitori, tota Narbonenſi Gallia publice ſupplicatum eſt. Sed infinitus ſim, ſi ſingularum Galliae vrbium aut prouinciarum proprios Deos velim ſcribendo percenſere. De theologis, ac religioſis veterum Gallorum perſonis, diuino cultui addictis, nunc dicendum videtur.

CAPVT XII.

De theologis ac religioſis veterum Gallorum perſonis.

IVLIVS CAESAR vnum dumtaxat eiusmodi perſonarum genus memorat, nempe Druides. Quum enim ita ſcribit *lib.* VI. *de bello Gallico: In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo ſunt numero atque honore genera ſunt duo:* non continuo de ſolis ſacerdotibus is locus intelligendus eſt: (vt innuit CASAVBONVS *in Strabonem lib.* IV.) nam paullo poſt addit: *Sed de his duobus generibus alterum eſt Druidum, alterum eſt equitum.* Cur autem e multis Gallorum ſacerdotum generibus CAESAR vnius meminerit, omiſſis reliquis, non video, niſi quod forte tum temporis Druides ſplendore nominis ſui ceteros obſcurarant: vt facile colligi poteſt ex iis, quae CAESAR ipſe de Druidibus magnificentiſſime narrat.

DIOGENES LAERTIVS initio ſtatim operis ſui duos philoſophorum ordines apud Gallos conſtituit Δρυίδας, καὶ Σεμνοθέους; *Druides et Semnotheos.* Quo poſteriori nomine dictos a Graecis volunt eruditi viri, quos Galli Samotheos nominarunt. Druides autem et Samothei non ſolum philoſophi, ſed etiam ſacerdotes fuerunt.

DIODORVS SICVLVS hoc genus hominum tres in claſſes deſcribere videtur, in *Bardos, Saronides*, et *Vates*; *lib.* V. *biblioth. hiſt.* vbi de Gallis agit: cuius verba ſtatim proferam, quum de ſingulis claſſibus dicam.

STRABO geographus inſignis, imperatore Auguſto, ac DIODORO ſuppar, tergeminum itidem ordinem conſtituit honoratorum virorum, qui ſacris rebus vtcumque addicti videntur fuiſſe. Παρ' ἅπασι δ' ὡς ἐπίπαν τρία φῦλα τῶν τιμωμένων διαφερόντως ἐστὶ, Βάρδοι τὲ, καὶ Οὐάτεις, καὶ Δρυΐδαι. *Apud vniuerſos autem* (nempe Gallos) *fere tria ſunt hominum genera, quae in ſingulari ſunt honore, Bardi, Vates et Druidae.*

Ad DIODORVM et STRABONEM accedere videtur AMMIANVS MARCELLINVS *rerum geſtarum lib.* XV. vbi legitur: *Per haec loca* (ſcilicet prouinciae, de qua loquitur) *hominibus paullatim excultis viguere ſtudia laudabilium doctrinarum, incboata per Bardos, et Eubages, et Druidas*, cet. Quos enim *Eubages*, ſiue, vt legit VALESIVS, *Eubages*, in *Vatum* locum introducit, eos cum ipſis *Vatibus* plerique confundunt. Qua de re poſtea, quum de hoc hominum genere ſeparatim dicemus. Deinceps enim de ſingulis harum perſonarum ordinibus, quos modo breuiter deſcripſimus, peculiarem diſputationem inſtituemus.

CAPVT XIII.

Samothei et Saronides.

GAllorum ſacerdotum ac theologorum antiquiſſimi videntur fuiſſe Samothei, qui diſciplinam et nomen acceperunt a Samothe, quem Gallici regni fundatorem ante diximus. Porro hic Samothes (cuius vel ipſum nomen excelſum aliquid ac diuinum ſonat; ex gemina voce Graeca conflatum, ex σεμνοὶ, i. e. *ſublimitates*, auctore EVSTATHIO *in Hom.* et Θεός Deus) Samothes inquam, vt erat ab auo Noëmo, et a patre Iapeto de rebus diuinis probe inſtitutus, ſuae ſapientiae ac religionis nominisque reliquiſſe potuit here-

heredes. Sed vereor ne poſtea labentibus annis ipſi Samothei, primae inſtitutionis immemores, tum veſana in ſuum auctorem pietate (ſi haec pietas dicenda eſt) tum prauo ceterarum gentium exemplo inducti, Samothen habere coeperint pro Deo.

Saronides.

SAmotheos excepere Saronides, dicti a Sarone Gallorum rege tertio, de quibus ita DIODORVS SICVLVS *bibliotb. hiſt. lib.* V. Φιλόσοφοί τε τινές εἰσι, καὶ θεόλογοι περιτ]ῶς τιμώμενοι, οὓς Σαρονίδας, vel potius Σαρωνίδας ὀνομάζουσι. *Philoſophique quidam ſunt et theologi ſupra modum bonorati, quos Saronidas appellant.* Qua cauſa RHODOMANNVS, DIODORI latinus interpres, *Druidas* Saronidum in locum ſubſtituerit, haud ſcio: fuerunt enim Saronides a *Druidibus* diuerſi, atque, vt videtur, antiquiores.

CAPVT XIV.

Druides.

QUi Druides a CAESARE dicti ſunt, ii parumper inflexo nomine, tum a PLINIO *lib.* XVI. *cap. vltimo*, tum ab AMMIANO MARCELLINO *lib.*XV. *Druidae* ſunt appellati, immo et *Dryſidae*, vel *Dryſudae*; ſi VALESIVS auditur *in Marcellinum:* quam appellationem gemina firmat auctoritate, antiquarum PLINII editionum, et MS. codicis AVRELII VICTORIS *in Claudio*, in quo haec leguntur, locupletiſſimo teſte P. ANDREA SCHOTTO: *Compreſſa per eum vitia, ac per Galliam Dryſudarum famoſae ſuperſtitiones.* Quin affert idem VALESIVS vir egregie doctus, ex *lib.* I. ORIGENIS *contra Celſum:* Τοὺς Γαλαλῶν Δρυάδας, *Gallorum Dryadas:* quaſi fecerit illos ORIGENES Nympharum Dryadum cognomines, (vt ſemel cum PLAVTO loquar.) Certe vtriuſque nominis eadem origo notatur ἀπὸ τῆς δρυὸς, *a quercu*, quod de Druidum appellatione non obſcure docet laudatus modo PLINIVS.

Nec tamen continuo reiiciendus ANNII BEROSVS, qui Druidibus, a *Dryio* quarto Gallorum rege, et illo quidem ſapientiſſimo vult factum eſſe nomen: Neque enim opus eſt, ex Graecis omnia tam

Digitized by Google

tam longe repetere, nedum requirere res Gallicas, quas, vt originem, ſic nomen apud Gallos et ex Gallis accepiſſe vero propius videtur.

Druidum officia, dignitatem, diſciplinam, mores, inſtituta, immunitates ac doctrinam pluribus deſcripſit IVLIVS CAESAR, in rebus Gallicis verſatiſſimus, quibus non interfuit modo, ſed etiam per multos annos praefuit. CAESAREM audiamus:

Druides rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica ac priuata,,, procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adoleſcen,, tum numerus diſciplinae cauſa concurrit, magnoque ii ſunt apud,, eos in honore: nam fere de omnibus controuerſiis publicis, pri-,, uatisque conſtituunt, et ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi caedes,, facta, ſi de hereditate, de finibus controuerſia eſt, iidem decer,, nunt, praemia, poenasque conſtituunt: ſi quis aut priuatus,, aut publicus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt.,, Haec poena apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita eſt interdictum,,, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes de-,, cedunt, aditum eorum ſermonemque defugiunt, ne quid ex con-,, tagione incommodi accipiant, neque iis petentibus ius redditur,,, neque honos vllus communicatur. His autem omnibus Druidi-,, bus praeeſt vnus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem; hoc,, mortuo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit; at, ſi ſunt,, plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur; nonnumquam etiam,, de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in fini-,, bus Carnutum (quae regio totius Galliae media habetur) conſi-,, dunt in loco conſecrato.,, Huc omnes vndique, qui controuerſias habent, conueniunt, eorumque iudiciis decretisque parent.

Diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam trans-,, lata eſſe exiſtimatur. Et nunc qui diligentius eam rem cogno-,, ſcere volunt, plerumque illo, diſcendi cauſa, proficiſcuntur. Drui-,, des a bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa vna cum reliquis,, pendunt, militiae vacationem, omniumque rerum habent immuni-,, tatem. Tantis excitati praemiis et ſua ſponte multi in diſciplinam,, conueniunt, et a propinquis, parentibusque mittuntur. Magnum,, ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur: itaque nonnulli annos,, vicenos in diſciplina permanent, neque fas eſſe exiſtimant, ea lit-,, teris mandare, quum in reliquis fere rebus publicis priuatisque ra-,,

 tioni-,,

„tionibus Graecis litteris vtantur. Id mihi duabus de cauſis inſti-„tuiſſe videntur, quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint, „neque eos qui diſcunt, litteris confiſos, minus memoriae ſtudere, „quod fere plerisque accidit, vt praeſidio litterarum diligentiam „in diſcendo ac memoriam remittant.

„Inprimis hoc volunt perſuadere, non interire animas, ſed ab „aliis poſt mortem tranſire ad alios; atque hoc maxime ad virtu-„tem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa praeterea de „ſideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudi-„ne, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate di-„ſputant, et iuuentuti transdunt.„ Hactenus CAESAR *lib.* VI. *de bell. Gall.*

CAPVT XV.

Illuſtratur CAESARIS locus ac defenditur.

ETſi ſummus imperator, ſcriptorque diligentiſſimus, quae coram ipſe oculis vſurparat, ac ſingulari cognoſcendi ſtudio perueſtigarat, ea tam perſpicuis litteris, tamque certis ingenii ſui monumentis conſignata poſteritati reliquit, nihil vt lucis, aut praeſidii a quoquam deſideret, quum ſit ipſe proprio ſplendore illuſtris, ſuaque auctoritate egregie munitus: tamen aequi bonique, pro ſua facilitate, conſulet, me illi, honoris cauſa praeſtantes viros adiungere, qui ſtipent Caeſareum latus, illumque non iam aduerſum coniuratos ciues, ſed contra criticos homines defendant.

Principio CAESAR rebus diuinis, ait interfuiſſe Druides: immo non interfuerunt ſolum, ſed etiam praefuerunt. Quin ſcripſere nonnulli iuſtitiae, quam vocant, manum, quae inter regum noſtrorum inſignia hodieque viſitur, olim Druidum in manibus pro ſceptro, ac ſupremi iuris illuſtri nota fuiſſe. Ita P. RVSSELETVS in *lilio ſacro.*

Confertam deinde adoleſcentum turbam idem imperator Druidibus inſtituendam tradit. At POMPONIVS MELA inſignis geographus, non auditorum dumtaxat aetatem ac numerum, ſed etiam dignitatem laudauit, atque inſuper tempus, locum, modumque totius inſtitutionis adiecit: *Docent*, inquit, *Druidae multa nobiliſſimos gentis clam et diu, vicenis annis, in ſpecu, aut in abditis ſaltibus.* Haec MELA.

Quod

Quod autem IVLIVS Druidum diſciplinam e Britannia in Galliam translatam eſſe refert, PLINIVS annuit his verbis: *Britannia bodieque magiam attonite celebrat, tantis caerimoniis, vt eam Perſis dediſſe videri poſſit.* Magiam dixit: nam et Britanni et Galli Druides pro magis apud Romanos vulgo habebantur.

Diſplicet HOTOMANO iuriſconſulto, quod Druides a CAESARE dicantur in publicis priuatisque rationibus Graecis litteris vſi; et pro arbitrio hanc vocem *(Graecis)* expunxit: hanc autem liturae rationem affert: *Si in priuatis ac domeſticis rationibus et accepti expenſique codicibus patresfamilias omnes Graecis litteris vtebantur; quid eſt, quod ſuperius dixit CAESAR libro V. ſe Graecis conſcriptam litteris epiſtolam ad Quintum Ciceronem miſiſſe, ne, intercepta epiſtola ſua, a Gallis conſilia noſcerentur?* Haec HOTOMANVS. Non eſt ſane quod verear hoc loco eius hominis cenſorium obelum notare, quem vir integerrimus HENRICVS SPONDANVS Apamiarum epiſcopus, monarchiae Gallicanae hoſtem capitaliſſimum appellat, probatque in *eccleſiaſticis annalibus, ad annum* 1573. Videte igitur HOTOMANI fidem (ſi quam tamen habuit) certe hoc loco CAESAREM absque fide citat: neque enim CAESAR dixit omnes patresfamilias Graecis litteris vſos, ſed tantum Druidas, vt legenti patet. Quod ſi ſoli Druides in ſcribendo Graecis litteris vtebantur, nihil mirum eſt, quod Graece ſcripſerit CAESAR, ne ſua conſilia interceptis litteris agnoſcerentur, ſiquidem non erant ſparſi tota Gallia Druides, ſed omnes vel apud Carnutes dumtaxat (vt CAESAR ipſe affirmare videtur) vel modo apud Carnutes, modo apud Heduos, vt alii volunt, habitarent, et niſi magnis de rebus non conſulerentur. Itaque ea viſa eſt CAESARI maxime tuta ſcribendi ratio, quae paucis eſſet cognita, iisque longe poſitis ab ea regione, ad quam litteras tranſmitteret. Caſtra enim Quinti Ciceronis, quem litteris de aduentu ſuo certiorem faciebat, erant apud Neruios (nunc Tornacum) et a Carnutibus, et ab Heduis diſſitos longo locorum interuallo. Quum vero TITIVS pro *Graecis* litteris *caecas* litteras repoſuit, *quarto controuerſorum locorum libro*, acutiusne viderit quam HOTOMANVS haud ſcio.

Nec video cur critici homines Graecas litteras a Gallis Druidibus adeo putent alienas. Non huc afferam Graecum illum Herculem, qui quum in Gerionem Hiſpanum tenderet, generoſam in Gallia prolem reliquit, fors et linguam. Sed tota illa Herculis ex-

Digitized by Google

peditio admodum eſt incerta. Nec deſunt qui Herculem illum velint Aegyptium, cognomento Lybin: quamquam LVCIANVS in *Hercule Gallico*, et AMMIANVS MARCELLINVS *libro* XV. Graecum volunt. Tacebo quod Galli, vaſtata quomdam Graecia, vna cum ſpoliis opimis, Graecos et libros et magiſtros ſuam in patriam reportaſſe potuerint. Nec vrgebo, quod admodum veriſimile eſt, nihil facilius fuiſſe, quam vt Graecae litterae ex Maſſilia, colonia Graeca, in Gallos homines praeſertim ſtudioſos et ſciendi percupidos quaſi proſeminatae ſint. Omitto coniecturas omnes, quae tamen obſcuris in rebus locum habent. Adducam paullo poſt, quum de Gallorum funeribus agam, peruetus epitaphium Graeca lingua, Graecis litteris exaratum, quod omnem ſuſpicionem amouet, nec dubio locum vllum relinquit: certe hunc locum CAESARIS reddit aliquanto firmiorem.

CAPVT XVI.

Quibus artibus ac ſcientiis fuerint inſtituti Druides.

HAec Druidum exigua laus eſt, quod Graece ſciuerint, ſi comparetur cum maioribus illis liberalium artium ac ſcientiarum ornamentis, quae laudatus CAESAR, aliique paſſim ſcriptores Druidibus magno conſenſu deferunt. Paullo ante CAESAREM audiebamus, quum philoſophiam naturalem, illam inprimis, quae caelum terrasque contemplatur, nec non diſciplinarum omnium altiſſimam theologiam iis vltro concederet; alii viciſſim audiendi ſunt. Et iam inde prae ceteris omnibus longius exauditur Hiſpanica illa tuba, quae bella canit plusquam ciuilia. Sic enim *libro* I. *Pharſaliae*, vbi pacem Galliae redditam narrat, orto Romanos inter ciuili bello, Druides compellat:

> *Et vos barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum*
> *Sacrorum Druides poſitis repetiſtis ab armis.*
> *Solis noſſe Deos, et caeli numina vobis*
> *An ſolis neſcire datum*, cet.

Hic haereo tantiſper, et quaero, quid ſibi velit LVCANVS, quum Druidibus datum eſſe canit, et ſolis quidem, noſſe Deos ſimul, et neſcire? Suſpicor hic breuiter notatam eſſe Druidum arrogantiam,

qui

Digitized by Google

qui ſe aliquid prae ceteris mortalibus acutius in Deo vidiſſe glorientur. Itaque haec ni fallor, grauiſſimi poëtae mens eſt: vobis ſolis, vt quidem exiſtimatis, o Druides! datum eſt noſſe Deos; an ſolis neſcire datum eſt? qua quidem interrogatione tum ſe ipſe, tum Druides leuiter caſtigat; quaſi dicat: immo ſic mihi perſuadeo, vobis ſolis datum eſſe neſcire Deos. Datum autem non ſine falſa catachreſi dixit: nec enim ſolet in donis inſcientia numerari. Ego vero LVCANO aſſentior; et eos maxime in ignoratione Dei Opt. Max. verſari puto, qui ſe apprime noſſe Deum arbitrantur.

Non abludit AMMIANVS MARCELLINVS, qui Gratiano ac Valentiniano iuniore imp. ſcripſit hiſtoriam. *Druidae*, inquit, *ingeniis celſiores (vt auctoritas Pythagorae decreuit) ſodalitiis adſtricti conſortiis, quaeſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt.* Sic ille. Quaeſtiones autem occultarum altarumque rerum non alias interpretor, quam de diuina natura, de ſideribus, deque animis noſtris, quorum immortalitatem certam apud omnes volebant. Quamquam nonnulli quaeſtiones illas occultarum rerum ad necromantiam ſpectare ſuſpicantur: eam ob rem Druides relictis vrbibus habitaſſe ſiluas, procul ab omni hominum coetu diſſitas, vt auctor eſt LVCANVS, qui veteres illos Galliae philoſophos hunc in modum alloquitur:

Nemora alta remotis
Incolitis lucis.

At in huiusmodi ſolitudinem abdere ſe Druides potuerunt, vt maiori cum libertate, ac tranquilliori animo melioribus diſciplinis operam darent.

CAPVT XVII.

Doctrinae Druidum de animorum immortalitate et metempſychoſi.

PRaeclaram illam Druidum de animorum immortalitate doctrinam, quia magnorum digna virorum eſt, non modo CAESARIS, ſed aliorum etiam veterum ſcriptorum teſtimonio firmare placet.

Fuit igitur hoc praecipuum Druidicae doctrinae caput, quod inprimis perſuaſum eſſe voluerunt, teſte ipſo, quem audiuimus, CAE-

Digitized by Google

SARE, *non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios.* Quibus ex verbis intelligimus Pythagoricam metempſychoſin viguiſſe Druidum in ſcholis. Atque idipſum DIODORVS SICVLVS diſerte teſtatur. Sic enim habet Latine donatus:

Solent vero et inter epulandum Galli, occaſione neſcio qua ex verborum iurgio quomodocumque abrepta, inſurgere, ac ſingulari certamine ex prouocatione inter ſe dimicare nihili facientes vitae iacturam. Inualuit enim apud illos Pythagorae opinio, quod animae hominum immortales in aliud ingreſſae corpus, definito tempore, denuo vitam capeſſant. Ideo in funeratione mortuorum, epiſtolas propinquis inſcriptas in rogum coniiciunt, quae a defunctis deinde legantur. Ita DIODORVS *lib.* V. *biblioth.* Hic forte viri nobiles, qui hodieque ad ſingularia certamina, decretis regiis toties prohibita, tam leuibus de cauſis deſcendunt, vetus maiorum ſuorum exemplum praetendent. At longe diſpar eſt hominum, temporumque ac fidei ratio: ſic enim illi perſuaſum habebant, animas poſt mortem ex aliis tranſire ad alios; contra vero tenemus hodie certa fide, animas eiusmodi hominum, qui contra ius fasque ita inuicem decertant, ignibus addici ſempiternis. Quanta igitur haec dementia eſt? quis furor, chriſtianos homines hac fide informatos, hac religione inſtitutos, ſcientes, volentesque in aeternum exitium ruere, et flammis ſeſe inuoluere nunquam exſtinguendis?

Sed ad inſtitutum redeo, et DIODORO VALERIVM MAXIMVM, nihil admodum abludentem, adiicio. Sic habet *lib.* II. *cap.* VI. *Maſſilienſium moenia egreſſo, vetus illc mos Gallorum occurrit, quos memoria proditum eſt, pecunias mutuas, quae his apud inferos redderentur, dare ſolitos, quia perſuaſum habuerant, animas hominum immortales eſſe. Dicerem ſtultos, niſi idem Braccati ſenſiſſent, quod palliatus Pythagoras credidit.* Haec VALERIVS, qui eam ob rem *auaram et foeneratoriam Gallorum philoſophiam* ſcite nuncupauit.

Pythagoricam hanc ſententiam Druidibus non ſine perhonorifica commendatione tribuit AMMIANVS, *lib.* XV. *Inter hos* (nimirum inter ſapientes Gallos) *Druidae ingeniis celſiores, vt auctoritas Pythagorae decreuit, ſodalitiis adſtricti conſortus, quaeſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt, et deſpectantes humana, pronuntiarunt animas immortales.* Ita MARCELLINVS.

Quamquam IOAN. BRANTIVS *Antuerpianus*, qui *notis politicis Caeſarem* illuſtrauit, inter Druidum ac Pythagorae metempſychoſin hoc

hoc diſcriminis eſſe ſtatuit, *quod Pythagoras hominum animas etiam ad pecudes tranſire vellet, et rurſum e pecudibus ad homines reuocari; Druides vero tantum ad alios homines transmigrare.* Recte: nec aliud ſonant tum haec verba CAESARIS: *non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios;* tum LVCANI iam laudati carmina, qui qua coeperat oratione ad Druides conuerti, ſic pergit:

- - Vobis auctoribus vmbrae
Non tacitas Erebi ſedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt. Regit idem ſpiritus artus
Orbe alio: longe canitis ſi cognita vitae,
Mors media eſt. Certe populi quos deſpicit Arctos
Felices errore ſuo: quos ille timorum
Maximus haud vrget leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaeque capaces
Mortis, et ignauum rediturae parcere vitae.

At ſi ſuos animos in pecudum corpora demigraturos Galli credidiſſent, iuſtus quidam leti metus non illos non vrgere potuiſſet. Sed quia certa ſpes erat, ſe non tam eſſe morituros, quam in alios viros mutatum iri, hinc magnus ille vitae contemtus. Item differunt inter ſe VALERIVS ac LVCANVS. Vult enim VALERIVS, animas hominum ex Druidum ſententia, quum cedunt e corporibus, inferos petere, vbi pecunias olim, quum eſſent in viuis, mutuo datas recipiant. Contra Druides apud LVCANVM volunt, vmbras (hoc eſt animas hominum) non tacitas Erebi ſedes, Ditisque profundi pallida regna petere, ſed in alio quodam orbe (Antipodum puta, vti TABERIVS interpretatur ex OMNIBONO) alios artus regere. Item ex mente Druidum, mors media eſt, ſcilicet inter vtramque vitam, praeſentem ac futuram: at ſi animae poſt mortem ad inferos commeant, nec in aliud corpus continuo tranſeunt, duas inter vitas mors media dici non poteſt.

Itaque tametſi multi magnique philoſophi hominum animos immortales eſſe decreuerunt, non tamen omnes de illorum animorum ſtatu ac conditione poſt mortem idem ſenſerunt. Quippe nonnulli (quorum in numero fuiſſe Druides CAESAR, ac LVCANVS innuunt) animos exiſtimarunt ſtatim a ſuo e corporibus exitu, in aliorum hominum corpora tranſire: quidam illos in corpora pecudum

dum emigrare nonnumquam: alii eosdem animos ſubire inferos voluerunt, et ex inferis quosdam, confecto annorum certo curriculo, in humana corpora redire, quosdam perpetuo illic remanere. Quod Virgilianus Anchiſes haud obſcure docet *lib.* VI. *Aeneid.* vbi filium Aeneam, qui campos vſque in Elyſios, illius viſendi gratia, penetrauerat, in hunc modum affatur:

Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis vndam
Securos latices, et longa obliuia potant.

ac filio percontanti,

O Pater! anne aliquas ad caelum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas? iterumque ad tarda reuerti
Corpora? quae lucis miſeris tam dira cupido?

poſt longas ambages ita reſpondet:

Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethaeum ad fluuium Deus euocat agmine magno:
Scilicet vt memores ſupera ad conuexa reuiſant,
Rurſus et incipiant in corpora velle reuerti.

Quod ſi quis in his carminibus aliquid difficultatis patitur, habet ad manum eruditos MARONIS interpretes, quos conſulat; nam ego ad Druides, qui me reuocant, confeſtim redeo.

CAPVT XVIII.

Druidum ſchema.

QUi Druidum habitus, qui veſtitus, quae forma totius oris ac corporis, quae denique inſignia, plane apud antiquos ſcriptores non inueni: niſi forte quis illis torques aureos circa collum et brachia, veſteſque tinctas atque auro variegatas dederit: quod STRABO feciſſe viſus eſt. Sed Gallorum nobilium ac principum virorum potius, quam Druidum is ornatus videtur fuiſſe. Ego vero dum rem curioſius inueſtigo, in eorum peruetuſta ſimulacra incidi, quae habet CONRADVS, in *deſcriptione Nurenbergae vrbis ingenioſae*

genioſae (ſic enim vocitari a ſuis Germanis amat.) CONRADVM igitur in medium adduco, quem laudat IOAN. RELLICANVS ſuis *in Caeſarem annotationibus*, et primum apud Germanos poëtam fuiſſe dicit. „Druides, inquit, veluti oraculorum, ſortium, fulminum-„ que interpretes tales confidebant, quales nudiùs vidimus, dum„ IOANNES THEOPHILVS, vir ſumma eruditione et ingenio, nos„ in patriam ſuam ad radices Piniferi ſecum adduceret. Hic, dum„ forte in coenobium diuertiſſemus, lapideas imagines ſex, vetu-„ ſtiſſimo in ſaxo, ad fores templi, parieti inſertas, conſpeximus.„ Septem pedum ſingulae, nudis pedibus, capita intectae, Graecani-„ co pallio, et cucullato, perulaque, et barba ad inguina vſque pro-„ miſſa, et circa naris fiſtulas bifurcata. In manibus liber, et bacu-„ lus Diogenicus, ſeuera fronte, et triſti ſupercilio, obſtipo capite,„ figentes lumina terris.„ Haec Druidum ſchefis ex CONRADO.

Sed geminus hic ſcrupulus iniicitur. Primum enim cur nudis pedibus Druides, quibus ligneas quaſdam ſoleas (quas Gallicas, quaſi Gallorum proprias dixere, vulgo des Galloches) a SCHEDIO datas eſſe video? ſed forſan eiusmodi ſoleae pedis dumtaxat plantam texere, ſandaliorum inſtar. Deinde cur Druidibus libros in manus dedit, qui viua, quod aiunt, voce traderent ſuas diſciplinas, vt ante diximus, nullos proinde libros haberent? At perlegenti mihi, quae ſequuntur, omnis ſcrupulus exemtus eſt: hic enim deſcribit Druides, non iam inanium Deorum cultores, ſed Chriſtianos; non magos, ſed ſacrae ſcripturae veraeque religionis interpretes: nam ſi forte absque libris antea fuerant, vbi Chriſto nomen dedere, ſancta, quae vocamus, Biblia ſaltem admiſerunt. Et vero pergit CONRADVS in haec verba: „Hi quondam apud Gallos ſiue interpre-„ tandae religionis, ſiue ſolitudinis gratia, quo expeditiores inqui-„ rendis rerum cauſis eſſent, in nemoribus et ſaltibus conſedere,„ multitudinemque vulgi ad ſe pellexere. Poſtea autem quam Ti-„ berius Caeſar ipſos propter factiones, quarum duces erant,„ Galliis excedere iuſſiſſet, illi in Germaniam commigrauere, et ſub„ Carolis, Arnulphis, et Othonibus chriſtianam religionem inter-„ pretantes, totam Herciniam, in amoenis et irriguis vallibus, a-„ prorum et ceruorum ſaltibus, ſub annoſis et nigris quercubus (a„ quibus coenobiorum ſuorum nomina ſunt) occupauere„ Hactenus CONRADVS.

CAPVT XIX.

De ſublatis Druidibus parergon criticum.

CONRADVS expenditur: PLINIVS et SVETONIVS conciliantur.

PAtior equidem Gallos Druides ab CONRADO Germano factos eſſe Germanos, quando et Chriſtiani ab eodem facti ſunt: neque illi hoc nomine diem dicere velim. Quod autem ait Galliis excedere iuſſos a Tiberio, PLINIVM auctorem ſequutus eſt, qui Tiberii caeſaris principatum ſuſtuliſſe Druidas docet. At SVETONIVS hoc ipſum imperatori Claudio attribuit. Hos ſcriptores IVSTVS LIPSIVS conatur inuicem conciliare, dum ait, Tiberium in vrbe tantum, Claudium in ipſa Gallia eos ſuſtuliſſe. Sed verba SVETONII aliud ſonare videntur (quod pace tanti viri dixerim:) *Druidarum religionem* (inquit SVETONIVS in *Claudio) apud Gallos dirae immanitatis, ſed tantum ciuibus ſub Auguſto* (non ſub Tiberio, vt diuinat LIPSIVS) *interdictam, penitus aboleuit.*

Alia, meo quidem iudicio conciliandi PLINII cum SVETONIO poteſt iniri via. Tiberii praenomen habuit Claudius, forte PLINIVS appellauerit eum illo praenomine, atque ita idem erit PLINIO, qui fuit Claudius SVETONIO. Neque id videtur a mente PLINII penitus alienum: nam ſua memoria dicit ſublatos eſſe Druides. Atqui Tiberii Claudii principatus, vel ad aetatem, vel ad memoriam PLINII propius accedit, quam Tiberii Neronis imperium. Porro de cauſa vel exſtinctionis, vel fugae Druidum, CONRADVM inter et SVETONIVM haud ſatis conuenit: quos enim hic ob religionis immanitatem de medio ſublatos narrat, ille ſolum vertere coactos propter factiones refert. Hanc vtramque cauſam potuerunt iniuriae Romani praetexere; at poſterior apud homines politicos plus habere ſolet auctoritatis.

An vero pulſos e Gallia Druides Germania Chriſtianos acceperit, an fecerit ipſa, non eſt mihi compertum. Hoc autem certum habeo tum ex STRABONE, tum ex aliis ſcriptoribus, non ita exhauſtam Druidibus Galliam a Romanis imperatoribus fuiſſe, neque ſic radicitus exciſam deletamque penitus religionis immanitatem, vt non

Digitized by Google

non aliqua, longo etiam poſt tempore, illius veſtigia exſtarent. Immo vero vſque ad tempora Theodorici ac Theodeberti, regum Francorum, Childeberti filiorum, nepotum Brunechildis, aliquot Druides in Galliis remanſiſſe, GREGORIVS M. ſuis *ad Brunechildem reginam litteris* perſpicue ſignificat, in haec verba: *Hoc quoque pariter hortamur, vt et ceteros ſubiectos veſtros ſub diſciplinae debeatis moderatione reſtringere: vt idolis non immolent, cultores arborum non exſiſtant, de animalium capitibus ſacrificia ſacrilega non exhibeant.* In cultoribus autem arborum, quis, ſi modo legerit, quae capite nono ſcripſimus, Druides non agnoſcat?

CAPVT XX.

De feminis Druidibus.

FInieram, quum me SCIPIO DVPLEIX admonuit in eruditis *commentariis Galliarum* quos veluti prodromos *hiſtoriae Francorum* praemiſit, in Druidum ordinem adſcitas quoque mulieres fuiſſe, vt fidem facit FLAVIVS VOPISCVS in *Aureliano* primum, deinde in *Numeriano*.

In *Aureliano* ſic habet: *Dicebat Aſclepiodotus, quodam tempore Aurelianum Gallicanas conſuluiſſe Druidas, ſciſcitantem, vtrum apud eius poſteros imperium permaneret? tum illas reſpondiſſe dixit, nullius clarius in republica nomen, quam Claudii poſterorum futurum.*

Alter locus fabellam habet oblectandis animis idoneam, quae commodum ſe nobis offert ad recreandum lectorem forte legendo defatigatum. *Curioſum non puto* (inquit VOPISCVS) *neque ſatis vulgare, fabellam de Diocletiano Auguſto ponere hoc conuenientem loco, quae illi data eſt ad omen imperii. Auus meus mihi retulit ab ipſo Diocletiano compertum. Quum, (inquit,) Diocletianus apud Tungros in Gallia quadam in caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans, et cum Druide quadam muliere rationem conuictus ſui quotidiani faceret, atque illa diceret: Diocletiane, nimium auarus, nimium parcus es: ioco, non ſerio Diocletianus reſpondiſſe fertur: Tunc ero largus, quum imperator fuero. Druyas excepit: Diocletiane! iocari noli, nam imperator eris, quum Aprum occideris. Semper exinde Diocletianus in animo habuit imperii cupiditatem, idque Maximiano conſcio, atque auo meo, cui hoc dictum a femina Druide ipſe retulerat. Denique vt erat altus, riſit, et tacuit: apros tamen in venationibus, vbi fuit facultas, manu ſua*

Digitized by Google

ſemper occidit. Denique quum Aurelianus imperium accepiſſet, quum Tacitus, quum Probus, quum ipſe Carus, Diocletianus dixit: Ego ſemper apros occido; ſed alter ſemper vtitur pulpamento. Iam illud notum eſt atque vulgatum, quod quum occidiſſet Aprum praefectum praetorio, dixiſſe fertur: Tandem occidi Aprum fatalem. Ipſum Diocletianum idem auus meus dixiſſe aiebat nullam aliam ſibi fuiſſe cauſam occidendi manu ſua Aprum, niſi vt impleret Druidis dictum, et ſuum firmaret imperium. Haec fere VOPISCVS.

CAPVT XXI.

De Bardis.

Bardi, non quaſi vecordes, vaſtique homines (quod vox Latina ſonat) appellati ſunt; ſed a Bardo, V. Gallorum rege, illorum inſtitutore nomen acceperunt, qui poëſi et muſicae inprimis addictus fuit, ſi fides eſt ANNII *Beroſo*, vnde poëtae pariterque muſici quondam apud Gallos *Bardi* ſunt nominati. Nec omnia finxiſſe Beroſum illum, quem plerique fictitium volunt, teſtantur iam ſaepe laudati ſcriptores, DIODORVS et STRABO: Sic enim DIODORVS vbi de Gallis ſermonem habet: Ἐισὶ καὶ παρ' αὐτοῖς καὶ ποιηταὶ μελῶν, οὓς Βάρδους ὀνομάζουσιν: i. e. *Sunt etiam apud illos et poëtae carminum melicorum, quos Bardos nominant.* Itidem STRABO: Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί. i. e. *Bardi quidem laudatores et poëtae.*

Porro SVLPITIVS in LVCANVM annotat, *Bardum* vetuſta voce Gallica cantorem ſonare: atque inde nomina *Dagobardi*, *Sigebardi*, *Robardi* deducit; pro quibus hodie *Dagobertum*, *Sigebertum*, *Robertum* dicimus: *Dagobardus* autem exponitur cantor heroicus, *Sigebardus*, cantor victor, *Robardus*, cantor ruber.

Bardos habemus cantores. Quid vero canerent, coniicere licet ex illa STRABONIS voce, (ὑμνηταὶ) licet enim ὕμνος laudationem omnem cantari ſolitam ſignificet, tamen ad caeleſtium honorem praecipue pertinere certum eſt. Diuinas ergo laudes in primis *Bardi* cecinerunt. Adde et heroicas, et regias, et alias id genus, maxime bellicas: vt ex LVCANO licet cognoſcere, qui *lib.* I. *Pharſal.* canebat in hunc modum:

Vos

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremtas
Laudibus in longum vates dimittitis aeuum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina, Bardi.

Securi, ſcilicet poſteaquam Caeſar a Gallis in ciues arma conuerterat. Hic autem *vatum* nomine, non venturarum rerum coniectores, ſed poëtas intellige, vt paſſim appellantur: nam res futuras diuinare apud Gallos alterius cuiusdam ordinis fuit, de quo mox dicetur.

Ad LVCANVM AMMIANVS accedit *rerum geſtarum lib.* XV. *Bardi quidem* (in MS. Regio, et editione Rom. legitur *Vardi*) *fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyrae modulis cantitarunt.* Nec ſolum fortia, ſed etiam imbecillia, teſte DIODORO, quem modo laudauimus: Οὗτοι δὲ μετ' ὀργάνων ταῖς λύραις ὁμοίων, οὓς μὲν ὑμνοῦσιν, οὓς δὲ βλασφημοῦσι. *Hi ad inſtrumenta lyris ſimilia, hos quidem laudant, illos autem vituperant.* Atque hoc pacto Galli rem ſtrenue gerere honeſtiſſime cogebantur, quum ſpectatores haberent eos homines, qui parati ſemper eſſent, vel decantare quae vidiſſent geſta fortiter, vel quae per ignauiam et ſocordiam turpiter admiſſa, palam in ore omnium exprobrare ac diuulgare. Quantam vero vim, et quam admirabiles effectus Bardorum cantus habuerit, ex DIODORO, capite proximo cognoſcemus.

At ſacri et heroici illi cantores non ſemper in gradu ſuo ſtetiſſe, ſed (quae ſors eſt humanarum rerum, vt quotidie dilabantur, et cum tempore deteriores fiant) ad abiectiſſimam paraſitorum aſſentationem deſcendiſſe aliquando videntur. Certe POSIDONIVS apud ATHENAEVM *lib.* VI. APPIANVS in *Celtico*, et ex illis VALESIVS Bardos in paraſitis, menſarum ſectatoribus, recenſent. POSIDONII haec verba ſunt: Κελτοὶ περιάγονται μεθ' ἑαυτῶν, καὶ πολεμοῦντες συμβιωτὰς, οὓς καλοῦσι παρασίτους. οὗτοι δὲ ἐγκώμια αὐτῶν, καὶ πρὸς ἀθρόους λέγουσιν ἀνθρώπους συνεστῶτας, καὶ πρὸς ἕκαστον τῶν κατὰ μέρος ἐκείνων ἀκροωμένων. τὰ δὲ ἀκούσματα αὐτῶν εἰσὶν οἱ καλούμενοι Βάρδοι. ποιηταὶ δὲ οὗτοι τυγχάνουσι μετ' ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες. *Galli circumducunt ſecum, etiam quum bellum gerunt, conuictores, quos appellant paraſitos. Hi laudes illorum et apud confertos homines dicunt publico in conuentu, et priuatim ad vnumquemque audientium. Sunt autem illorum acroamata, qui vocantur Bardi.* Aſſentior enim CASAVBONO, qui ἀκούσματα idem hoc loco ſonare putat, quod ἀκροάματα: quae quidem Graeci paſſim accipiunt, non ſolum

pro dictis, quae audiuntur, ſed etiam pro ipſis hominibus, quorum praeclare, aut etiam feſtiue dicta auſcultantur, nonnumquam et pro cantilenis. Immo Latini ipſi ſuam vocem fecerunt, et quidem hoc ipſo ſenſu, quem modo dixi. Nam CICERO quaſi feſtiuum acroama Verrem appellauit: item alium neſcio quem; in *orat. pro Sextio.*

Itaque dicuntur hic, opinor, *Bardi* fuiſſe Gallorum ἀκούσματα ſiue ἀκροάματα, quod inter conuiuia mecaenatum ſuorum, quorum gratiam captabant, eximia decora carmine cantuque proſequerentur.

At quod arbitratur idem CASAVBONVS, POSIDONIVM hic vocaſſe παρασίτους, quos Galli vetuſta ſua lingua *Soldurios* dixerunt, aegre annuo. Quamuis enim Soldurii eorum magnatum, quibus ſe deuouerant, impenſis, item vt paraſiti, alerentur; tamen inter Solduriorum fortitudinem multis periculis abunde probatam, et innatam paraſitis, vnam ad menſam fortibus, ignauiam haud ſatis conuenit.

Haec enim Solduriorum conditio fuit, teſte ipſo CAESARE, *lib.* III. *de bello Gall. vt omnibus in vita commodis vna cum his fruerentur, quorum ſe amicitiae dedidiſſent. Si quid iis per vim accidiſſet, aut eumdem caſum vna ferrent, aut ſibi mortem conſciſcerent. Neque adhuc hominum memoria repertus eſt quisquam*, inquit CAESAR, *qui eo interfecto, cuius ſe amicitiae deuouiſſet, mori recuſaret.* Quid ſimile in paraſitis, quorum viuit amicitia, dum feruet olla? Concinnior eſt graeca paroemia: ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία.

Vel ſi placet Soldurios appellare paraſitos, reddenda huic vocabulo primaeua vis, quam ATHENAEVS affert *lib. cit.* Τὸ δὲ τοῦ παρασίτου ὄνομα πάλαι μὲν ἦν σεμνὸν καὶ ἱερόν. *Paraſiti vero nomen olim quidem erat venerabile et ſacrum.* Perſona item ſancta, quippe quae vna cum ſacerdote victimae partem caperet in cibum: ex eodem ATHENAEO. Quamquam neque vel ſic paraſitorum nomen in Soldurios quadrabit, qui non ſacris, ſed proeliis toti fere addicti fuerunt. Sed redeamus ad Bardos, vnde parumper digreſſi ſumus; nec longum vltra nos morabuntur: ſedes enim dumtaxat et loca, quae inſederunt, breuiter attingo, et finio.

Vir quidam eruditus exiſtimat, praecipuam Bardorum ſedem fuiſſe montem illum, quem vulgo Burgundi vocant *Montbarry*, Auſſano in agro ſitum, Gallice *l'Auſſois;* quem agrum ad veteres Mandubios ſpectaſſe plerique opinantur.

Item

Digitized by Google

Item vrbem eiusdem paene nominis *Montbar.* Et aliis in Galliae partibus paullo diſſitis, alias vrbes propter appellationis affinitatem ad Bardorum ditionem nonnulli citra omnem iniuriam adiiciunt *Barroducum, Bar le Duc, Barrum ad Albam, Bar ſur Aube, Barrum ad Sequanam, Bar ſur Seine.*

CAPVT XXII.
De Vatibus et Eubagibus.

VAtes cum Eubagibus coniungo, nec enim fuiſſe puto diuerſos. De nomine primum: de munere et auctoritate deinde dicam.

Horum hominum nomen admodum varium inuenio. Qui enim dicuntur a DIODORO Μάντεις, iidem a STRABONE Ὀυάτεις appellantur: quaſi STRABO nonnihil a Μάντεσι, i. e. vatibus, ſiue diuinis, diuerſos hoc barbaro vocabulo ſignificatum voluiſſet. Et vero multi paſſim recentiores philologi, quorum alii Latine, alii Gallice ſcripſerunt, CHASSANAEVS, GVENEBALDVS, SCHEDIVS, ceterique illos ipſos STRABONIS Ὀυάτεις, non *Vates* Latine, ſed *Vaties* appellant, Gallice *les Vacies.*

At HENRICVS VALESIVS, vir apprime doctus, ſuis *in Marcellinum annotationibus,* non Ὀυάτεις (vt in tergemino STRABONE diuerſis temporibus typiſque, tum Lutetiae, tum Attrebati vulgato legi) ſed Ὀυάγεις legit: nec vllum auctorem nouae lectionis appellat. Et tamen hanc affert ad emendationem AMMIANI confirmandam, in qua *Eubages Eubagibus* ſubſtituere non dubitauit (nam illo MARCELLINI loco, quem ſupra notauimus, Eubages adhuc a plerisque legebatur.) Sed emendationis ſuae grauius firmamentum VALESIVS habet, nec vnum, regium ſcilicet exemplar, et Romanam editionem, quibus omnino plurimum tribuere fas eſt. Huc adde, quod magnam et opportunam quoque hoc nomen affinitatem habet cum Graeca voce Εὐαγὴς, quae purum et ſanctum ſonat. Vnde vero commodius ſacerdotes accipiant nomen ſuum, quam a ſanctitate, quae illorum quaſi propria virtus eſt?

Vates autem illi *Eubagesque,* vel *Eubages* (vt a nomine ad munus aliquando veniam) ſacerdotes fuerunt, ἱεροποιοὶ, vti STRABO diſerte

Digitized by Google

ſerte ſcribit: καὶ φυσιολόγοι, *phyſiologi*, hoc eſt, interprete MARCELLINO, *qui ſcrutantes ſeria, et ſublimia naturae pandere conabantur.* At nihil magnificentius atque illuſtrius de hoc Gallorum hominum ordine dici poteſt, quam quod habet DIODORVS iam ſaepe laudatus, qui et ſacerdotes illos facit, et cum diuina quadam auctoritate diuinos, Deorum internuncios, pacisque ſequeſtres. Placet illum audire, ſed Latine loquentem, vt faciliori negotio ab omnibus percipiatur.

Vtuntur Galli Vatibus, quos magno dignantur honore, qui per auſpicia et immolationes ſacrarum victimarum futura praenunciant, et habent omnem multitudinem audientem dicto. Dein, repraeſentato illorum ſacrificio (quod a nobis inferius ſuo loco exhibebitur, vbi de Gallorum ſacrificiis agemus) pergit in hunc modum: *Nec cuiquam ſacrum facere fas eſt absque philoſopho;* i. e. absque aliquo Vate (quo de hominum genere ſermonem habere coepit.) *Per hos enim vt diuinae naturae vſuperitos, et eiusdem quaſi linguae commercio vtentes, gratiarum ſacra,* τὰ χαριστήρια *Diis aiunt offerenda, et per eosdem internuncios ab illis eſſe bona expetenda cenſent. Non ſolum autem in pacis negotiis, ſed etiam in bellis, eiusmodi Vatibus inprimis morem gerunt, perinde vt melicis poëtis, non tantum amici et populares, verum etiam hoſtes ipſi. Hi Vates ſaepe inter aduerſas acies, dum ſtrictis mucronibus, et protenſis haſtis exercitus propinquant ſibi inuicem, interueniunt medii, et ipſos a pugna reuocant, ſiſtuntque furialem impetum, quaſi feras incantarent. Sic et apud ferociſſimos barbaros ira cedit ſapientiae, atque* (vt pulcherrimis DIODORI verbis rem concludam) ὁ Ἄρης αἰδεῖται τὰς Μούσας. i. e. *Mars reueretur Muſas.*

CAPVT XXIII.

De Templis.

HAud ſatis vero conſentaneum videtur, quod nonnemo de veteribus Gallis ſcripſit ex CORNELIO TACITO (ſi tamen de Gallis, ac non potius de Germanis id ſcriptum CORNELIVS reliquit:) *Nec cobibere parietibus Deos, nec iis vllam humani oris ſpeciem aſſimilare, atque ita ex magnitudine caeleſtium arbitrari.* Nam plane contrarium habetur ex DIODORO SICVLO, qui Celtarum religioſam in fanis ac delubris magnificentiam, non ſine admiratione proſequitur.

Singulare

Singulare eſt, inquit, *ac ſupra quam credi poteſt, quod a ſuperioribus Celtis in fanis Deorum obſeruatur. Nam in templis ac ſacellis, in ea regione paſſim excitatis ac conſecratis, magna vis auri proiecta iacet in honorem Deorum: et nemo eſt indigenarum, qui contingere illud audeat, ob ſeueri numinis metum ac reuerentiam.* Haec DIODORVS.

Et ſupra cuiusdam templi Tanfanae, quod a Romanis ſolo aequatum eſt, ipſoque adeo CORNELIO ſuggerente, meminimus, et Herculis Ogmii ſimulacrum deſcripſimus ex LVCIANO, vt alia pleraque omittam.

Nolim tamen inficiari lucos, praecipue denſis roboribus conſitos a Gallis conſecratos fuiſſe, Deorumque nominibus appellatos.

Quos non ruricolae Panes, nemorumque potentes
Siluani Nymphaeque tenent, ſed barbara ritu
Sacra Deum, ſtructae diris altaribus arae,
Omnisque humanis luſtrata cruoribus arbor:

vt canit LVCANVS poëta. Biſontini, Deorum cultores maximi, in edito iugo montis Caelii ſuae ciuitatis, quem nunc *Stephanium* vocant, quatuor diis ſuis locum, cum quatuor columnis conſecrarunt, quem vulgus in hunc vſque diem *pantheon* appellauit: Deorum autem ſtatuae in columnarum faſtigiis erant collocatae, et adhuc viſuntur columnarum fragmenta, quum nihil ſtatuarum ſuperſit, praeter vnicum Apollinis caput lapideum, ſparſis crinibus radiatum. Haec fere IOANNES IACOBVS CHIFFLETIVS in ſua *Veſontione, parte I. cap.* XIII.

CAPVT XXIV.

De ſacrificiis veterum Gallorum.

DIximus adhuc de Diis Gallorum, nunc venimus ad ſacrificia, caerimonias, et ceterum religioſi cultus apparatum, quo ſuos illi Deos venerabantur. In Gallorum inhumana ſacrificia, in quibus humanas victimas Diis faciebant, TVLLIVS initio ſtatim eſt inuectus, nec iniuria. Ego ſine dolore meminiſſe non poſſum, quamquam ſacrificiorum immanitatem malo cum CAESARE patriae religioni, quam Gallico ingenio dare; praeſertim quum alibi paſ-

ſim, toto orbe ſolemni vſu, recepta fuerint eiusmodi ſacrificia, Iſidis Aegyptiae, Saturni Carthaginienſis, Iouis Cyprii et Latialis, Dianae Scythicae, et aliorum, quae apud LACTANTIVM poteris videre *libro* I. *cap.* XXI.

„Natio eſt omnis Gallorum dedita religionibus, inquit lauda„tus CAESAR *libro* VI. *de bello Gallico:* atque ob eam cauſam qui „ſunt affecti grauioribus morbis, quique in praeliis periculisque „verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolatu„ros vouent, adminiſtrisque ad ea ſacrificia Druidibus vtuntur; „quod pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe ali„ter Deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque „eius generis habent inſtituta ſacrificia. Alii immani magnitudi„ne ſimulacra habent, quorum contexta viminibus membra, viuis „hominibus complent, quibus ſuccenſis circumuenti flamma exa„nimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto, aut latroci„nio, aut aliqua noxa ſint comprehenſi, gratiora Diis immortali„bus eſſe arbitrantur. Sed quum eius generis copia deficit, etiam „ad innocentium ſupplicia deſcendunt.„ Haec CAESAR.

Iuuerit indicaſſe tironibus ſupplicia pro ſacrificiis accepta. Ita SALLVSTIVS *de bello Catilinario*, de quibusdam dixit: *in ſuppliciis Deorum magnifici*, id eſt, in ſacrificiis.

Paullo ſecus ac CAESAR eadem ſimulacra et ſacrificia deſcripſit STRABO *libro* IV. *Geographiae:* nam et ſimulacrorum materiam mutauit, et ſacrificia latius extendit. *Conficientes Coloſſum*, inquit, *et illum quidem ex foeno: lignumque iniicientes in eum Coloſſum, pecora, et omnis generis animalia, et homines omni flamma conſumebant.*

Nihilo mitius eſt, quod ſcribit DIODORVS SICVLVS de Gallis vbique ferocibus: *Inprimis vbi de magni momenti rebus conſultatio incidit, mirandum et incredibilem quemdam ritum obſeruant. Hominem immolatum ſupra transuerſum pectoris ſaeptum enſe feriunt, quo caeſo prolapſoque, tum e caſu, et conuulſione membrorum, tum e cruoris fluxu, quid futurum ſit, praeſagiunt: et ex longa vetuſtatis obſeruatione hoc apud eos fidem inuenit.* Idem auctor paullo infra: *Maleficos per quinquennium ſeruantes palis ſuffigunt in honorem Deorum, et cum aliis multis primitiis immolant, exſtructis grandibus pilis. Vtuntur vero et captiuis, vt hoſtiis, ad Deorum ſacrificia. Quin nonnulli et animalia bello capta cum hominibus mactant, aut cremant, aut aliis ſacrificiis de medio tollunt.*

Huc

Huc adde cruentum vrbis Maſſiliae ſacrificium. Quum enim Maſſilienſes peſte laborarent, vnus e pauperibus offerebat ſe totum annum publicis, ac purioribus cibis alendum: poſtea verbenis, veſtibusque ſacris ornatus circumducebatur per vrbem cum exſecrationibus, vt inciderent in eum omnia mala ciuitatis, eoque habitu mactabatur, vel in mare deturbatus, mergebatur.

Porro non omnibus Diis humano ſanguine litabant: quibus ergo? *Galli Heſum atque Teutatem humano cruore placabant*, inquit LACTANTIVS *libro* I. *diuinarum inſtitutionum cap.* XXI. Quibus *Taranem* adiicit LVCANVS poëta *libro* I. vbi populorum contexit catalogum, qui ſub Iulio Caeſare meruerunt, in bello plusquam ciuili:

Et quibus immitis placatur ſanſiuine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Heſus,
Et Taranis, Scythicae non mitior ara Dianae,

cui ſcilicet hoſpites immolabantur, vt nemo neſcit.

Videtur et Saturnus humani ſanguinis ſitientiſſimus eiusmodi cruentas victimas in Gallia obtinuiſſe. Id certe DIONYSIVS HALICARNASSEVS non obſcure innuit *lib.* I. *antiquitatum Roman.* vbi ſic habet: *Ferunt etiam veteres Saturno ſacra facere ſolitos, ſicut Carthaginienſes, dum ſtetit eorum vrbs: et apud Celtas ad hoc vſque tempus ſit, et in aliis quibusdam occidentalium gentium homicidis.*

Quod ſi verum eſt, immolatas eſſe humanas victimas in Gallia vſque ad tempora DIONYSII HALICARNASSEI, qui Caeſare Auguſto imperante ſcripſit, ſenatusconſultum, quod ait PLINIVS *lib.* XXX. *cap.* V. factum eſſe anno vrbis 657. Cneio Cornelio Lentulo, et Publio Licinio Craſſo, conſulibus: *ne homo immolaretur*, vim ſuam apud Gallos non obtinuit. Et vero diras Druidum religiones necquidquam ante prohibitas, illis, quos dixi, conſulibus, Auguſti deinde imperio, ſaltem ciuibus interdictas, ac Tiberii etiam principatu damnatas, ſuſtuliſſe Claudius imperator, et penitus aboleuiſſe traditur.

Eſt qui dicat generoſae cuiusdam et magnificae pietatis fuiſſe, (ſi qua pietas eſſe poteſt in tanto ſcelere) litaſſe non bruto, ſed humano ſanguine, quem acceptiſſimum putarent iis, quos ut Deos honore ſummo religioſe colebant: et, quaſi cum Diis liberalitate certaſſent, hominem pro homine reddidiſſe, adeoque pro vno plures;

 quod

quod vitam, niſi ſtaret alterius ſanguine, vilius redemtam putarent. Nihil eſt, quod diſſimulemus hoc loco, poena illa fuit ſane grauiſſima infandi criminis idololatriae: nam poſtquam ſe mortales obcaecati malo daemoni turpiſſime manciparunt, vix ſatis vbique ſanguinis habuerunt, vt crudeliſſimam ſaeui tyranni ſitim reſtinguerent. At ex barbaro illo immolandorum hominum more id certe commodi emolumentique, non tantum Galliae, ſed etiam toti orbi prouenit, vt promptioribus animis ea religio ſuſciperetur, quae victimam vnam, et eam quidem incruentam haberet: in qua is Deus coleretur, qui ſibi ipſi pro gratiſſima hoſtia foret, ſui ſanguinis prodigus, vt alieno parceret. Ac quum ita perſuaſum haberent Galli, non poſſe aliter Deorum numen placari pro vita hominis, niſi vita hominis redderetur, eo faciliorem apud illos fidem obtinere potuit is religionis noſtrae ſenſus, quae ſalutem hominum, niſi Dei hominis interitu reparari non potuiſſe docet. Sequuntur alia quaedam mitiora ſacrificia, et ſuperſtitiones.

CAPVT XXV.

Praecipui honores Heſo delati.

AVctor eſt IVLIVS CAESAR, in *commentariis de bello Gallico libro* VI. Gallos *Marti*, (ſic Heſum appellat) *quum proelio dimicare conſtituerunt, ea, quae bello coeperint, plerumque deuouere, quum ſuperauerint, animalia capta immolare.* Neque vero fas eſt praeterire ſilentio, quod iurisconſultus VLPIANVS praeclare annotauit *titulo* 22. *qui heredes inſtitui poſſunt*, §. 6. vnum ex Diis Heſum fortunarum ſuarum heredem ſcribere Gallis ſenatusconſulto licuiſſe, vt Romanis Iouem Tarpeium. (Legi cum CIACONIO paullo aliter, atque iacet in vulgaribus typis.)

Quo loco mirari libet, quam ob rem CAESAR *Teutatem* (qui Mercurius fuit,) *Heſo*, ſiue Marti antepoſuerit, quum Galli Heſum eodem loco habuerint, quo Iouem Tarpeium Romani, hoc eſt, ſummo. Huc adde, quod ſupra vidimus a LACTANTIO *Heſum Teutati* praelatum. Conſtat denique Gallos non vſque adeo mercaturae et lucro addictos fuiſſe, vt non longe pluris arma facerent, quum et nobiliſſimi quique, et potentiſſimi vna cum clientibus et ambactis

(qui

Digitized by Google

(qui ſerui erant, quos, vt quisque erat genere et copiis ampliſſimus, ita plurimos circum ſe habebat) totum aeuum ferro tererent. Quod CAESAR ipſe non diffitetur.

Eam ob rem huic quoque Deo principi oblata eſſe animalium capita ſuſpicor. Cuius ſacrificii meminit GREGORIVS cognomento MAGNVS, pontificatu maximus, in quibusdam *litteris ad Brunechildem Francorum reginam* datis: quod quidem ipſius adeo GREGORII aetate adhuc erat receptum aliquibus in Galliae regionibus. Nec mirum videri debet, tamdiu in Gallia idololatriae remanſiſſe veſtigia, quum idem GREGORIVS teſtetur ſuis in *epiſtolis ad Chryſanthum epiſcopum Spoletanum*, et *Agnellum Terracinenſem*, eam in Italia repullulaſſe et paene in ipſam vrbem profanorum hominum malis artibus eſſe reuocatam. Haec breuiter velut extra chorum.

CAPVT XXVI.

Minerua Mediolani culta.

MIneruam Mediolani praecipua veneratione cultam a Celtis, teſtatur POLYBIVS: et ALCIATVS refert, Mediolanum a Celtis primum appellatum eſſe *Megdelant*, quaſi virginis terram, forte a Mineruae Parthenone ampliſſimo, quod in ea vrbe viſebatur. Creditur haec eadem aedes fuiſſe, quae hodie eſt diuae Teclae: fidem faciunt haec carmina:

Quam Mediolanum ſacram dixere puellae
Terram, (nam vetus hoc Gallica lingua ſonat)
Culta Minerua fuit, nunc eſt vbi nomine Tecla,
Mutato matris virginis arte domus.

Ruſticus Deorum cultus.

AVctor eſt in *vita D. Martini* SVLPITIVS: *Gallorum ruſticis eam conſuetudinem fuiſſe, ſimulacra daemonum candido tecta velamine, miſera per agros circumferre dementia.* Sic ille ad verbum.

Digitized by Google

CAPVT XXVII.

Gallicae decerpendi viſci caerimoniae, et eiusdem ſuperſtitioſi vſus, nec non ſelaginis, ſamoli, ac verbenarum.

QVas hic inſero ſuperſtitiones, eas ad cultum aliquem Deorum pertinere puto; nec enim tot caerimonias rebus in ſpeciem leuiſſimis adhibuiſſent, niſi vim quamdam diuinam adeſſe, animum induxiſſent. Viſcum igitur, et ſalutares, quae mox dicentur, herbas, ſic tamquam certiſſima Deorum beneficia, religioſe et reuerenter a Gallis accepta par eſt exiſtimare, vt non tam ipſa dona, quam Dii ſuis in donis honorarentur. Inprimis viſcum, quod e robore decerpebant, procliue fuit acceptum referre Ioui, quandoquidem illis robur erat pro Ioue. Iam vero totam hanc ſuperſtitionem e PLINIO cognoſcemus. *Non eſt omittenda*, inquit, *in ea re et Galliarum admiratio. Nibil habent Druidae (ita ſuos appellant magos) viſco, et arbore, in qua gignatur, ſi modo ſit robur, ſacratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos, nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Graeca poſſunt Druidae videri. Enimuero quidquid adnaſcatur illis, e caelo miſſum putant, ſignumque eſſe electae ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inuentu,* (ſcilicet in robore) *et repertum magna religione putatur, et ante omnia ſexta luna*, (i. e. ſexto die lunae) *quae principia menſium annorumque bis facit, et ſaeculi poſt triceſimum annum, quia iam virium abunde babeat, nec ſit ſui dimidia. Omnia ſanans appellantes ſuo vocabulo. Sacrificiis epuliſque rite ſub arbore praeparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur; ſacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce aurea demetit; candido id excipitur ſago: tum deinde victimas immolant, precantes, vt ſuum donum Deus proſperum faciat iis, quibus dederit. Fecunditatem eo poto dari cuicumque animali ſterili arbitrantur, contraque venena omnia eſſe remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerumque religio eſt.*

Ita PLINIVS claudit *librum* XVI. *biſtoriae ſuae naturalis.* Et iure quidem in rebus friuolis viſcum numerat, damnatque Gallicam ſuperſtitionem. Quum vero viſcum non obſcuro ſcommate *Galliarum admirationem* appellauit, parcere poterat illi conuitio: habet enim viſcum vel in ipſo exortu ſuo aliquid admiratione dignum, non modo

do Galliarum, ſed omnium vbique nationum; quippe *quod non ſua ſeminat arbos*, vt canit VIRGILIVS *Aeneid.* VI. Vnde vero naſcatur, necdum ſatis a curioſis naturae indagatoribus compertum eſt.

Sin autem viſcum illud virgae illius ſalutiferae diuinis oraculis promiſſae, ac virginei partus vel tenuis vmbra fuit, vt quibusdam viſum eſt, habuit enimuero admirabilitatis non parum.

Porro ex verbis PLINII certe colligimus, non omne viſcum Druidibus ſacrum fuiſſe. Quum enim in quinque arboribus, eodem PLINIO teſte adnaſcatur, in quercu, in robore, in ilice, pruno ſilueſtri, ac terebintho, vnum illud ab Ioue miſſum putabatur, quod in robore adnatum erat. Quod autem ait PLINIVS viſcum decerpi ſolitum ſexta luna, quae faceret Gallis initium annorum, confirmari poteſt hodierna etiam conſuetudine, quae multis in Galliae locis adhuc retinetur, vbi ruſtici anno ineunte clamitant lingua vernacula: *Au guy, l'an neuf*: i. e. *ad viſcum, annus nouus*, pro vetuſto Druidum more; nam ex OVIDIO:

Ad viſcum Druidae, Druidae clamare ſolebant.

Nec ſuperſtitione vacabat aliquot herbarum excerpendarum ratio, nempe ſelaginis, ſamoli, et verbenarum, a quibus contra perniciem omnem praeſentiſſimum remedium exſpectabant. Qua de re legendus item PLINIVS *lib.* XXIV. *cap.* 11. et *lib.* XXV. *cap.* 9.

CAPVT XXVIII.

Anguinorum ouorum Gallica ſuperſtitio.

QVando verſor in Gallicis ſuperſtitionibus, omnium paene famoſiſſimam omittere non poſſum, quam idem naturae ſcriptor, *lib.* XXIX. *cap.* 3. narrat in hunc modum: „Eſt ouorum genus in magna Galliarum fama, omiſſum a Graecis. Angues innumeri aeſtate conuoluti, artifici complexu glomerati, ſaliuis faucium corporumque ſpumis generant id ouum. Anguinum appellatur. Druidae ſibilis id dicunt in ſublime iactari, ſagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat: profugere raptorem equo: ſerpentes enim inſequi, donec arceantur amnis alicuius interuentu. Experimentum eius eſſe, ſi contra aquas fluitet, vel auro vinctum.„

Digitized by Google

„ ctum. Atque vt magorum ſollertia occultandis fraudibus ſagax, „ certa luna capiendum cenſent, tamquam congruere operationem „ eam ſerpentium, humani ſit arbitrii. Vidi equidem id ouum ma- „ li, orbiculati modici magnitudine: cruſta cartilaginis velut ace- „ tabulis brachiorum polypi crebris, inſigne Druidis. Ad victorias „ litium ac regum aditus mire laudatur: tantae vanitatis, vt haben- „ tem in lite in ſinu equitem Romanum e Vocontiis, a D. Clodio „ principe interemtum, non ob aliud ſciam. „ Hactenus PLINIVS, qui vaniſſimam hanc ſuperſtitionem merito deridet, totamque magorum Druidum malis artibus tribuit.

CAPVT XXIX.

Diuini honores Auguſto exhibiti.

CVm gentium omnium communis in Auguſtum, virum imperio dignum, voluntas fuit, tum Gallorum praecipuus amor in principem de totis Galliis optime meritum exſtitit, vt ex Romanis Graeciſque ſcriptoribus facile colligitur. Nam ei, quum adhuc eſſet in viuis, tamquam numini iam conſecrato, ſplendidiſſimum templum communibus impenſis Lugduni, ad confluentem Araris et Rhodani, exſtruxerunt, aramque dicarunt, ſexaginta gentium titulis inſignem, quae ſingulae ſtatuas ibidem ſingulas affixerant, quaſi votiua quaedam anathemata. Ad hanc aram eloquentiae ſolemne certamen, Graecis Latiniſque litteris olim magno ambitu eſt celebratum, ex quo, qui receſſerant inferiores, aut praemiis victores ſuos afficere, aut eorum laudes oratione perſequi (quod ſummo dedecori fuit) iubebantur: illos vero, qui peſſime ſcripſiſſent, ſpongia, vel etiam propria lingua, ſcriptiones ſuas delere coactos ferunt, niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent. Quae quidem honeſti certaminis lex ſane barbara in mortalium ſaeuiſſimum Caligulam a pleriſque ſcriptoribus refunditur. Quo factum eſt, vt in eam palaeſtram tanto cum nominis ſui diſcrimine niſi trepidus intraret nemo. Eam ob rem IVVENALIS magnum quemdam timorem ſignificaturus, ſic hominem pallere dixit:

Vt nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

CAPVT

CAPVT. XXX.

Gallorum funera.

FInem Gallicis religionibus imponemus, vbi pauca de funeribus Gallorum (quae pars maxima religionis fuit) pro eo, ac polliciti ſumus initio, ſubiecerimus: vt profanam theologiam, quam dudum perſequimur, tandem aliquando profanis in ſepulchris quaſi humatam poſtremum valere iubeamus. Commodum huic funebri caerimoniae quaſi δᾳδοῦχος (ſi fas) praelucet, qui iam ſaepe antea in hac veterum temporum ac myſteriorum caligine nobis facem praetulit IVLIVS, Caeſarum princeps et parens *libro* VI. *de bello Gall.*

Quum paterfamilias, inquit, *illuſtriori loco natus, deceſſit, eius propinqui conueniunt, et de morte, ſi res in ſuſpicionem venit, de vxoribus in ſeruilem modum quaeſtionem habent; et, ſi compertum eſt, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera ſunt pro cultu Gallorum magnifica et ſumtuoſa: omniaque quae viuis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia; ac paullo ſupra hanc memoriam ſerui, et clientes, quos ab iis dilectos eſſe conſtabat, iuſtis funeribus confectis, vna cremabantur.* Atque hic mos ſane barbarus olim multis in locis obtinuit, in Thracia praeſertim et India: cuius rei permulti ſunt auctores.

Praeter ea quum Galli certam haberent animorum immortalitatem, litteras coniiciebant in eumdem rogum, quo ſuorum cadauera cremabant, quas ſcilicet in alia quadam vita legerent ii, quibus inſcriberentur: quod ante iam accepimus ex DIODORO SICVLO, huius *theol. Gall. cap.* XVII.

At vtrique hiſtorico tum CAESARI, tum DIODORO reclamaſſe viſus eſt PAVSANIAS, egregius belli dux, et ſcriptor tota Graecia percelebris. Scribit enim mortuorum ſepulturam a Gallis neglectam eſſe, vt eius immanitatis opinione hoſtem magis terrerent, quod mortuos, more ceterorum hominum, nulla miſericordia proſequerentur. Sed PAVSANIAM cum CAESARE ac DIODORO facile conciliabimus, ſi dixerimus, Gallos quidem nullum ſepulturae honorem conceſſiſſe mortuis hoſtibus, maioris contumeliae cauſa, non tamen ſuis negaſſe. Quod ſi ſuorum quoque funera, et ſepulturam neglexiſſe Gallos voluit exterus ille ſcriptor, ab ipſis veterum Gallorum monumentis, et elogiis monumentorum, quae noſtra etiam

aetate reperta ſunt, falſi conuictus tenetur. Vnum e multis huc afferam inſigne, et certis auctoribus confirmatum, vti me allaturum recepi; praeſertim ad confirmationem Graecarum litterarum, quas Gallis hominibus HOTOMANVS ereptas volebat.

CAPVT XXXI.

Chyndonactis ſepulcrum.

ANno reparatae per Chriſtum ſalutis, MDIIC. eo ipſo die, quo fidelium defunctorum animabus piaculari carcere liberandis praecipue intenta eſt eccleſia, quidam vinitor vnaque duo filii, dum ſolum pangendis vitibus effodiunt, haud procul Diuione, hodie primaria Burgundiae ciuitate (non autem Auguſtoduni, vt ſcribit GRVTERVS in *antiquarum inſcriptionum appendice, pag.* M C LIX.) ſaxum craſſiuſcula mole, rotunda figura, pedali altitudine, parique diametro, colore, vt poſtmodum apparuit, candido, et ea teneritudine, quae facile ſcalprum admitteret, retegunt, quo quidem extracto, ne vitis incremento noceret, item alterum eiuſdem formae lapidem, qui ſubiectus erat, offendunt, ſed concauum (quod patuit amoto eiuſdem materiae operculo) plane dolioli in modum: medio pede, quem vocant, regioprofundus, ſeptem omnino pollicibus latus fuit.

Hic alicuius theſauri adinueniendi bonis ruſticolis facta continuo magna ſpes eſt, quae cito ſe deluſam ſenſit: quippe in lapidis cauo vitream duntaxat vrnam, cineribus, et comminutis oſſiculis plenam inuenerunt. Tum nihil propius abſuit, quam vt iuuenes ſpe bona lapſi et vaſculum perfringerent, et cinerem diſpergerent in auras: ſed vetuit pater, vrnamque ſedulo cuſtoditam ad GVENEBALDVM medicum, ciuem Diuionenſem, eius vineae, in qua reperta fuerat, poſſeſſorem detulit. Hic vir apprime eruditus tota re ex vinitore cognita, vtrumque pariter lapidem ſuam illico domum aſportari iubet, et a terra ſituque purgari. Ac continuo palam fiunt quaedam litterae in ſaxeo illo doliolo, quod vrnam includebat, primum hae duae ſolae in medio, X V; dehinc epitaphium ſub eodem Graecis litteris ouatam in figuram, et geminam quidem, vt alteram altera, minorem maior includat, ita plane inſculptum: non vt habetur

Digitized by Google

habetur in GRVTERO nonnihil deprauatum; qua de re GVENEBALDVS ipſe conqueritur:

ΜΙΘΡΗϹ ΕΝ ΟΡΓΑΔ. ΧΩΜΑ ΤΟ ϹΩΜΑ ΚΑΛΥΠΤΕΙ ΧΥΝΔΟΝΑΚΤΟϹ ΙΕΡΕΩΝ ΑΡΧΗΓΟΥ. ΔΥϹΕΒ. ΑΠΕΧΟΥ. ΛΥϹΙΟΙ ΚΟΝ. ΟΡΩϹΙ.

Quod Latine ita donari poteſt ad verbum, at ſine vlla litterarum ſuppreſſione.

Mithrae in luco tumulus corpus abdit Chyndonactis archiſacerdotis. Impie abſtine. Liberatores Dii cinerem tuentur. Gallice vero, vt nemo Gallorum ſit, qui praeclarum hoc religioſae antiquitatis monumentum non intelligat:

Dans ce ſacre bocage de Mithra, ce tombeau cache le corps de Chyndonax archipreſtre. Impie, n'y touche bas: les Dieux Liberateurs gardent ſa cendre.

CAPVT XXXII.

Exponitur inſcriptio.

TAnta in re peruetuſta nouitas, multos, vt ſit, vndequaque praeſertim eruditos, et ſtudioſos antiquitatis homines ad viſendum exciuit: quin ſpectatores habuit, admiratoresque, viros etiam generis claritudine principes, quos appellat GVENEBALDVS, in eo libello, quem de hoc monumento conſcripſit, cui Gallicum hunc titulum fecit, *le reveil de Chyndonax;* vbi quodcumque eſt obſcuritatis hoc in epitaphio (nec enim vetuſtas vlla non habet aliquid tenebrarum) docte admodum illuſtratum reliquit, vt praeclarum hoc monumentum eodem tempore geminam pariter et a ſole, et a GVENEBALDO lucem acciperet. Abs me quoque aliquid illuſtrationis habebit, ne quis hic laboret.

Prima vox ΜΙΘΡΗϹ initio ſtatim etiam minime rudibus nonnihil negotii faceſſit. Qui factum enim eſt, vt Mithra Deus ille Perſarum (quo nomine Perſae ſolem appellabant) e coelo, certe e Perſide in Gallias, et in ſepulcrum vſque Galli ſacerdotis deſcenderit? Item vnde profectus eſt femineus hic gignendi caſus? Nam apud

pud HESYCHIVM Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις. i. e. *Mithra ſol apud Perſas.* Et iterum: Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις Θεός. i. e. *Mithra primus in Perſis Deus.* Ac proinde aliis ſcriptoribus, vt HESYCHIO, tum Μίθρας, tum Μίθρης vbique maſculei generis eſt. Quam ob rem igitur primus ille Perſarum Deus Gallos inter maxime viros in feminam degenerauit? Nec enim hic alius caſus eſſe poteſt in recto ſenſu, quam genitiuus, nec genitiuus hic alius generis, quam feminei.

Priori quaeſtioni reſpondeo, non raro eueniſſe, vt propria vnius gentis numina propagato cultu ab aliis quoque nationibus diuinos honores obtinerent, praeſertim quum diuerſarum gentium Dii, non reipſa, ſed nominibus tantum diuerſi forent. Itaque quum iam Galli ſolem ſub *Beleni* nomine colerent, vt ante diximus, facile adduci potuerunt, vtique amantes nouitatis, vt eumdem; ſub noua Mithrae appellatione venerarentur, non ſolum in Burgundia, ſed etiam Lugduni, vt modo dicemus. At magno inquies locorum interuallo Perſis et Gallia ſeiunctae ſunt: ita eſt; at Perſepolis quoque et Roma nihilo minus ſunt diſſitae, et tamen ad Romanos Mithra peruaſit: vt ex multis conſtat inſcriptionibus, quas refert GRVTERVS. Duas tantum affero, alteram Graecam, Latinam alteram. Graeca ſic habet:

ΗΛΙΩ
ΜΙΘΡΑ
ΑΝΙΚΗ
ΤΩ
SOLI
MITHRA
INVI
CTO.

Haud abſimilis, quae Lugduni Latina reperta eſt in monte ſancto:

DEO INVICTO
MITHR.
SECVNDINVS
DAT.

Poſterior quaeſtio pari facilitate diſſolui poteſt. Certum enim eſt, quod SERVIVS annotat in *lib.* II. *Aeneid.* *vtroque ſexu Deos exiſtimari.*

Qua

Digitized by Google

Qua re dici potuit et Μίθρας Μίθρου maſc. gen. et Μίθρα Μίθρης femin. Fateor tamen nuſquam alibi me apud vllum auctorem Graecum vidiſſe hoc nomen feminini generis. Nam quod affert GVENEBALDVS ex *lib.* XV. STRABONIS, vbi de Perſis: Τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν; id eſt: *Colunt autem et ſolem, quem vocant Mithram;* plane nihil efficit, ſi quidem hic accuſandi caſus Μίθραν perinde maſculini generis et feminini dici poteſt, vt norunt vel ipſi Graecae linguae tirones. Nihilo probat amplius *Hiſtoriae Tripartitae* locus *lib.* VI. *cap.* 8. (pace clariſſ. viri dicam) falſo citatus in haec verba: *Pagani olim Deae Mithrae ſacrificantes, homines immolabant.* Sic enim omnino legitur in *hiſt. tripart.* ab EPIPHANIO Scholaſtico Latine donata. *Pagani olim Deo Mithrae* cet. quod argumento eſt auctorem Graecum habuiſſe: Τῷ Θεῷ Μίθρᾳ, vel certe Μιθρείῳ (vt illum appellat ipſe SOCRATES *hiſt. eccleſiaſtic. lib.* III. *cap.* II. aut Μιθρίῳ, vt ſcribit SOZOMENVS *lib.* V. *cap.* VII. Nihil tamen admodum eſſe video, cur ſolem, qui Hebraeis vtriuſque generis eſt, fuiſſe Perſis negemus. Nam *ſchemeſc* Hebraeis ſol ad vtrumque genus pertinet. Immo *hama* (quae vox idem ſonat) generis eſt tantum feminini.

Quare non ſtatim refellendi ſunt nonnulli ſacrarum litterarum interpretes, qui reginam coeli, de qua diuinus vates IEREMIAS ſaepe mentionem facit *cap.* 7. et 44. ſolem eſſe cenſuerunt: quamuis alii plerique reginam illam vulgo lunam interpretentur. Itidemque Germani, Hebraeos ſequuti, ſolem effeminant, et e contra lunam faciunt maſculam: nam Germanice dicitur *die* Sonne, *haec* ſol: *der* Mond, *hic* luna. Eſt item ORPHEO luna, θῆλύς τε, καὶ ἄρσην, i. e.. *feminaque et mas.* TERTVLLIANVS in *apologetico cap.* XV. maſculum lunam, vna cum aliis ridiculis Diis inſectatur. SPARTIANVS in *Caracalla* Dei Luni meminit. EVSEBIVS *lib.* III. *de praepar. euangel. cap.* III. narrat Apollinopoli, quae vrbs eſt Aegypti, cerni ſimulacrum lunae, non forma muliebri, vt pingi ſolet, ſed virili. Pluſcula de Luno Deo P. NICOL. CAVSSINVS *lib.* I. *ſymbol.*

Quin Venus ipſa, qua nihil mage femineum vſquam eſt, maſcula nonnumquam inuenitur. Vide MACROBIVM in illud *Aeneid.* II. vbi ſic Aeneas:

> *Deſcendo, ac ducente Deo flammam inter et hoſtes*
> *Expedior.*

Qua re ſi vtroque ſexu Dii exiſtimantur, vt paullo ante audiuimus ex Honorato, par eſt omnino femineum hunc genitiuum (Μίθρης) hoc in epitaphio mitius accipi.

Punctum adiectum voci ΟΡΓΑΔ. vnius dumtaxat iota vicem ſupplet: quo addito fit *ὀργάδι*, ab *ὀργὰς*, *ὀργάδος*, i. e. *ἄνετος Θεοῖς γῆ*, *γῆ ἱερὰ*, *dicata Diis terra*, *terra ſacra*, vti docet IVLIVS POLLVX *lib.* I. *onomaſt.* ſiue terra illa eſſet arboribus conſita, ſiue non eſſet. Manifeſte vero pro luco, et ſacro nemore *ὀργὰς* accipitur apud PLVTARCHVM in *Pericle*, vbi dicitur Pericles hanc aduerſus Megarenſes, quos priuato proſequebatur odio, publicae ſimultatis cauſam praetexuiſſe, *quod ſacrum lucum cecidiſſent.* Ita enim LAPVS Florentinus, et XYLANDER, abs me conſulti, Latine vertunt illud PLVTARCHI: *ἀποτέμνεσθαι τὴν ἱερὰν ὀργάδα*: quamuis AMYOTVS, illuſtriſſimus ac doctiſſimus antiſtes, qui PLVTARCHVM aetate patrum noſtrorum Gallice donauit, ab illorum interpretum, et, ni fallor, a vero ſenſu longe diſceſſerit, quum hunc locum in haec verba reddidit: *Il leur oſta, et retrancha les terres ſacrées.* Certe multo commodius maleuolentiae praetenditur ſacrilegium, quam mulcta, quae non raro inſonti et bene merito irrogatur; at ſacrum lucum cecidiſſe olim ſuperſtitioſis hominibus immane ſacrilegium fuit, et omni odio dignum: agris autem priuari, mera mulcta eſſe potuit, quam non ſatis honeſte Pericles ſuo in Megarenſes odio praetenderet: immo ſibi ipſi potius inuidiam atque odium ciuium ſuorum conflaret, ob Graecam vrbem dedicatis agris mulctatam, cuius mulctae cauſam ipſe nullam afferret. Sed de hoc PLVTARCHI loco doctorum virorum eſto iudicium. Mithrae ad lucum redeo, quem firmant inuenta item propinqui fani quaedam quaſi veſtigia, teſſellato in pauimento, quindecim aut ſedecim pedes longo, totidemque lato: nec enim ſacra fuit aedes ſine luco, vt auctor eſt CALLIMACHVS; teſte GVENEBALDO. Dicet forte quiſpiam, cur non ipſa in aede ſepultus eſt Chyndonax ſacerdotum princeps? Quia lucus non minus ſacer, ac religioſus fuit, quam aedes ipſa: et mos antiquitus apud pleraſque gentes obtinuit, vt principum etiam virorum cadauera in loco patenti, et ſub dio, plerumque in ſiluis, in hortis et ſub arboribus ſepelirentur. Sic apud Iudaeos Iabeſithae viri fortiſſimi cadauera regis Saulis, et filiorum eius combuſſerunt, *et tulerunt oſſa eorum, et ſepelierunt in nemore Iabes*, *lib.* I. *Reg. cap.* XXXI. 13.

Digitized by Google

13. item *Paralipom. lib.* I. *cap.* X. v. 12. *Et ſepelierunt oſſa eorum ſubter quercum, quae erat in Iabes.* Rurſum Ioſias violatae religionis egregius vltor, ſuccifis ſuccenſisque fictitiorum Deorum lucis, *vidit ibi ſepulcra, quae erant in monte*, cet. *lib.* IV. *Reg. cap.* XXIII. 16. Ioſephus et Nicodemus ſanctiſſimum Chriſti Domini corpus exquiſitiſſimis vnguentis magnificentiſſime delibutum in horto ſepulturae mandarunt. *Ioan.* XIX. 41. Sed ad Iudaeos illa pertinent: haec, quae ſequuntur, ad Italos, a quibus ad Gallos facilis morum quaſi traiectus fuit. IVL. CAPITOLINVS in *Antonino Pio*, diſertis verbis ita narrat: *Sed Hadriano apud Baias mortuo, reliquias eius Romam peruexit ſancte ac reuerenter, atque in hortis Domitiae collocauit.*

Gratiani vero, quod oppidum eſt Montisferrati, repertum hoc epitaphium:

V. F.
T. VTTIVS. T. L.
HERMES
SEPLASIARIVS
MATER. GENVIT. MATER
RECEPIT.
HI. HORTI. ITA. VT OPT. MA-
XIMIQ. SVNT.
CINERIBVS SERVIANT MEIS. cet.

Quod reliquum eſt, videre licet apud GRVTERVM in *inſcript. ant. pag.* DCXXXVI. Ex quo intelliges, delicatum hominem curatores ſubſtituiſſe eorum, in quibus ſepultus erat, hortorum reditu alendos, qui tumulo praeberent roſam in perpetuum. Atque haec percontanti, cur in luco Chyndonax ſepultus eſſet? pergo in declarando eius epitaphio.

ΧΩΜΑ PLATONI, ceterisque Graecis proprie *tumulum*, ſiue *terrae aggerem* ſonat, ſed et pro *quouis ſepulcro* paſſim accipitur, quamuis nullus ſit agger, qui exſtet a terra circumiacente. Ortum volunt a verbo χέω, id eſt *humo egeſta exſtruo*, interdum etiam *ſepelio*, quod ſcilicet ad ſepulturam humus egeratur. Irrepſit Κώμα in GVENEBALDVM, *pag.* 21. vbi tum in voce, tum in accentu peccatur. Nam Κῶμα *grauem et altum ſoporem*, item *veternum*, et quamdam, vt Graeci vocant,

vocant, *lethargiam* ſignificat. Quamuis autem apud HESIODVM legamus:

Κακὸν δ' ἐπὶ κῶμα καλύπτει,

vt videri poſſit hoc Chyndonactis epitaphium ad HESIODI locum alluſiſſe; tamen haud dubie χῶμα retinendum eſt, vt habetur in ipſa ſepulcrali epigraphe: quippe longe conuenientius, quam ſopor, tegere tumulus dicitur, et occultare.

ΣΩΜΑ. Corpus dicit Chyndonactis hoc tumulo tegi, non vero totum Chyndonactem: Druides enim animas hominum immortales eſſe certo credebant; vt antea *capite* XVII. tum ex ipſo CAESARE, tum ex aliis antiquis ſcriptoribus cognouimus. Chyndonactis nomen nuſquam alibi comparet. Nominis huius amplitudinem voluit GVENEBALDVS ad perſonae dignitatem apud Gallos pertinuiſſe: certius dignitatis argumentum eſt ſacerdotalis praefectura, et quaſi quidam principatus. Idem ſcribit, Chyndonactem fuiſſe principem *Vatium, le prince des Vacies:* quos cum Vatibus Eubagibusque, vel Euhagibus eosdem fuiſſe putamus.

ΔΥΣΕΒ. non pro δυσεβὴς (vt habet epitaphii ſaepe laudatus interpres) ſed pro δυσσεβὲς in vocandi caſu.

ΛΥΣΙΟΙ, ſupple ΘΕΟΙ, hoc eſt, *liberatores Dii*, ἀπὸ τοῦ λύειν: *a ſoluendo*. Quo nomine non intelligendi ſunt hoc loco Caſtores illi, qui paſſim σωτῆρες dicti; ſed Dii inferi, qui mala, quae in manibus eorum eſſent, ab iis auertere putabantur, a quibus eſſent exorati. Ii vero multis nominibus tum a Graecis tum a Latinis appellati ſunt: a Graecis quidem Ἀλεξίκακοι, Ἀποτροπαῖοι, Ἀποπομπαῖοι, et Φύξιοι: a Latinis autem praeſertim vetuſtis, *Auerrunci;* a PERSIO *ſatyra* V. *Dii depellentes;* a TARQVINIO PRISCO apud MACROBIVM *lib.* III. *ſaturnal. cap.* 20. *Auertentes:* vbi docet, *arbores, quae inferum Deorum, Auertentiumque ſunt in tutela, eas infelices nominari.* Porro ad Deos inferos ſi qua cuſtodia pertinuit, maxime ſepulcrorum cuſtodia debuit pertinere.

KON. per apocopen pro Κόνιν, a Κόνις, εως, id eſt, *cinis, puluis.* Denique ΟΡΩΣΙ expono per verbum, *tuentur*, vt defenſionem aliquam prouidentium Deorum, ex ſententia, opinor, inſcribentis innuam: nec enim ὁρᾶν ſolum eſt *videre*, vt vulgo ſolet accipi; ſed etiam *at-*

tentum

tentum animum habere; vt ex illo EVRIPIDIS loco ſit manifeſtum: πρὸς πλοῦν ὁρῶ, *ad nauigandum animum attentum habeo.* Atque haec vetus epitaphium vtcumque explanant.

Quod autem GVENEBALDVS totam hanc inſcriptionem ad quatuor carmina reuocat, quorum primum eſſe vult Hexametrum, ſecundum Spondaicum, aut Phaleucium, conſequentia duo Lyrica, et poſterius quidem Gliconicum, id illi non facile aſſentior. Quam vero ſepulcrorum legem ad opinionis ſuae confirmationem attulit a PLATONE, vſquequaque fauentem non habet, immo, vt videtur, contrariam. Sic enim habet Latine donata lex: *Lapideae columnae ſuperſtruantur non maiores, quam vt demortui laudem capere poſſint, inciſam quatuor heroicis verſibus.* At hic vnus dumtaxat e quatuor heroicus eſt, ceteri diuerſi quisque generis et menſurae, vt vel ipſi GVENEBALDO placet. Quam quidem metri varietatem in ſingulis carminibus an vehementer probaturi ſint eruditi viri, haud ſcio.

Sed quo pertinent, aut quid ſonant duae illae litterae, quae in medio, vti diximus, lapide ſunt inciſae? Exſpectabam vt epitaphii doctus interpres hic aliquid diuinaret; ſed hoc diuinandum reliquit. Ergo ſinite me hoc loco coniectorem agere.

Eiusmodi litteris Latini veteres decemviros ſignificare ſoliti ſunt, vt norunt antiquitatis haud plane inſcientes. Fors igitur Chyndonax non modo ſacerdotum praefectus, ſed etiam decemuir fuit; vel ſane illius funus a decemuiris publico ſumptu procuratum eſt: idque notatum in ſepulcrali lapide ad perpetuam rei memoriam. Sic enim magnis viris, optimeque de patria meritis apud excultiſſimas quasque nationes honoris cauſa factitatum eſſe paſſim legimus.

At Latina haec inſcriptio neque cum Graeco epitaphio, neque cum homine Gallo ſatis apte cohaeret; inquit ille de genere criticorum. Mihi vero non videtur neceſſe, vt cum epitaphio cohaereat, et Graeca ſit: quippe Chyndonactem, Graecarum litterarum apprime ſcientem, potuiſſe ſibi ipſi Graecum epitaphium ſcribere: Gallos autem decemuiros iam Romanis permixtos, et viuentes Romano more ſuam illius ſepulcri procurationem iisdem litteris Latinis donare, quibus Romani notabant: quum praeſertim in diuerſa plane lapidis parte Graecum epitaphium, et Latinae litterae inſcribantur, vt patet. Qua re diuerſa lingua diuerſorum hominum, diuerſa

uerſa in parte, et de re diuerſa, nihil admodum habet incommodi: Galli vero decemviri dum Romanis vtuntur notis, nihil alienum faciunt a gente ſubdita, quae ad captandam gratiam dominorum, et linguam et morem, quoad poteſt, imitatur.

Sed ne Latinae ſint hae litterae, vtque ſit illis magnus quidam cum epitaphio Graeco conſenſus, dicamus eſſe Graecas, X et Υ: cuius quidem poſterioris pars inferior vetuſtate ſit detrita: niſi forte placet Υ, ſic olim aliquibus locis pictum fuiſſe, vt V Latinum: quod videre licet apud GRVTERVM in *antiq. inſcript.* Iam quid ſonabunt hae duae Graecae litterae? Quidam legebat ΧΥΝΔΟΝΑΚΤΟϹ ΥΠΝΟϹ, *Chyndonactis ſomnus*; alius: ΧΥΝΔΟΝΑΚΤΟϹ ΥΑΛΟΝ vel ΥΕΛΟΝ, i. e. *Chyndonactis vitrum*, per ſynecdochen, pro *vitrea vrna*: cuiusmodi Chyndonactis vrnam fuiſſe diximus. Sed quid opus longinqua repetere, quum ſit obuium Chyndonactis nomen, cuius haec prima ſunt elementa duo? quae quidem ad vnum et idem vocabulum, non ad diuerſa pertinere, inde colligo, quod nullo puncto ſecernantur. Nihil autem veriſimilius quam Chyndonactis nomen illi ſaxo per compendium inſcriptum eſſe, quod eiusdem ſacerdotis vrnam contineret. Porro vt vanus eſſem, ſi haec pro certis venditarem, ita nimium auſterus eſt cenſor, qui in re tam incerta, certi aliquid requirit. Hactenus de theologia, deque religione veterum Gallorum.

CAESA-

CAESARIS EGASSII BVLAEI
HISTORIA
VETERVM ACADEMIARVM GALLIAE DRVIDICARVM.

TOMO I

HISTORIAE VNIVERSITATIS PARISIENSIS

PRAEMISSA

IAMQVE SEORSIM ITERVM EXCVSA.

Digitized by Google

CAPVT I.

De Druidarum nominibus, origine et numero.

Pag. 1. AB initio ſtatim antiquiſſimi et poſt diluuium primi Galliarum incolae cum eximia laude et dignitate diſciplinas omnis generis exercuerunt. Ceteri enim populi ferè omnes quum rudes initio et barbari fuerint, atque paullatim demum et procedente tempore ſilueſtrem ferinumque victum edomuerint, artiumque tandem mitigauerint beneficio: ſtatim, vt a Gomero Iapheti filio (a quo Gomeritae, teſte IOSEPHO, primum dicti ſunt Galli) ſeu vt alii volunt, a Samothe habitata eſt Gallia, artes in hac terra coeperunt coli, ac diſciplinae omnis generis exerceri.

Samothes igitur, ſeu frater, ſeu filius Gomeri, et nepos Iapheti, filii Noae, cui Europa in diuiſione terrarum obtigerat, anno poſt diluuium circiter 140. a Gomero, ſeu ab Aſchenaſe (quem CLVVERIVS *German. lib.* I. *cap.* IV. totius plagae ſeptentrionalis dominum facit) rex Galliarum conſtitutus, animarum immortalitatem primus docuit; vſumque litterarum, philoſophiae praeſertim et aſtrologiae. Quam doctrinam vt transmitteret ad poſteros fideliter, inſtituiſſe dicitur ſacerdotum, profeſſorumque collegium, quos *Samotheos* nominauit.

Pag. 2. Sarron rex Galliarum tertius, Samothae, vt aiunt, nepos, et filius Magi ſeu Magog, (a quo philoſophos quoque Magos et Magiam deriuant) aui exemplum imitatus, *Sarronidas* inſtituiſſe dicitur, aliud philoſophorum et theologorum collegium. Hinc FORCATVLO *lib.* I. *de Gallor. imperio et philoſophia* audit: *Rex, academiae Gallicanae, in Europa omnium cultiſſimae, eruditiſſimus fundator.*

Inſtituit et Dryus, Sarronis filius, *Druidas* tam celebres in hiſtoria: et Bardus *Bardos*, qui virorum illuſtrium facta verſibus et lyricis inſtrumentis canebant. Ita fuerunt quatuor Gallorum ſacerdotum collegia; *Samothei*, *Sarronidae*, *Bardi*, et *Druidae*.

Non-

Nonnulli quinque faciunt et diſtinguunt genera ſacerdotum; *Sarronidas*, *Bardos*, *Eubages*, *Druidas*, et *Cauſidicos*, quibus diuerſa tribuunt officia. Alii autem tres tantum ordines conſtituunt, quos vocant *Bardos*, *Vates* et *Druidas*. Sed reuera quoad officia tantum differunt a ſingulis exſequenda. De Samotheis vero nihil fere apud ſcriptores Latinos aut Graecos reperire licet; hinc ſine dubio aut temporum lapſu oblitterata eſt illorum memoria, aut cum tribus aliis ordinibus confuſi ſunt atque permixti. DIODORVS certe, STRABO et MARCELLINVS trium tantum mentionem faciunt. Quumque nonnulli non *Vates*, ſed *Eubages* legi velint, magis tamen audiendi ſunt STRABO et DIODORVS, qui de *Vatibus* loquuntur.

Bardus Galliae rex inſtituiſſe *Bardorum* ſocietatem dicitur, hinc et eorum nomen nonnulli ab eo deducunt. Verum Celtica vox *Bard*, *cantorem* ſignificans, ſeu poetam virorum illuſtrium facta canentem, originem nomini huic potius dediſſe videtur, quam Bardus rex. Confirmari haud inepte iſtud poterit ex LVCANI *lib.* I. *Pharſal.* qui Bardorum ita deſcribit officium:

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremtas
Laudibus in longum Vates demittitis aeuum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Hinc forte rex ille Bardus dictus eſt, quod carminibus delectaretur, et quod cantores iſtiusmodi inſtituiſſet. Aiunt autem, regnaſſe Bardum circa annum mundi 2116. ante C. N. 1885. annis: quo fere tempore nati ſunt Iacobus et Eſauus. Habitabant vero Bardi in Aruernia et Burgundia, et prope Aliziam veterem collegium habebant. Hinc Mombard et Mombari, a Bardis montem incolentibus nomen accepiſſe dicitur.

Druidae vero omnium celeberrimi fuerunt. Erant enim philoſophi et theologi, et praeter rerum naturalium ſcientiam, de moribus etiam diſputabant, atque cum Diis colloqui putabantur, ita, vt per eos, veluti per internuntios, plebs ſacrificia Diis offerendo ab iis bona omnia exſpectaret. Habebant illi multas domos et collegia, in quibus iuuentutem litteris imbuebant; hisque omnibus praeerat ſummus quidam praefectus, veluti pontifex maximus, vt infra dicemus. Pag. 3.

Digitized by Google

Vnde nomen habeant Druidae, diſputatur inter doctos et curioſos. Aliqui deducunt a rege *Dryo*, vel *Druide;* qui quartus a Samothe fuit. Alii *ἀπὸ τῶν δρυῶν*, id eſt, *a quercubus*, vel quia querceta inhabitabant, vel quia viſco querneo in ſacrificiis vtebantur; et confirmant auctoritate PLINII, *lib.* XVI. *cap.* 14. ſic aientis: *Nihil habent Druidae (ita ſuos Galli appellant Magos,) viſco et arbore, in qua gignatur, ſi modo ſit robur, ſacratius. Nam per ſe roborum eligunt lucos; nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Graeca poſſint Druidae videri.* Verum antequam Galli cum Graecis Phocenſibus, qui, vt ſuo loco dicemus, Maſſiliam appulerunt, commercium vllum haberent, ſuos Galli Druidas habebant. Nonnulli deriuant a voce Saxonica *Dry*, vt AFFRICVS aſſerit in *gloſſario Saxonico-Latino*, indeque Saxonas Magos, ſeu ſacerdotes ſuos appellaſſe *Dry*. Sed credibile eſt, Saxonas a Gallis hanc vocem, non Gallos a Saxonibus deſumſiſſe; ſicut nec a voce Germanica *Druchtin*, vel *Truchtin*, quae *dominum*, ſeu *Deum* etiam adhuc Caroli M. temporibus ſonabat, vt alii ſcribunt. Quidam deriuant a voce Ebraica *Derulſim*, vel *Drulſim;* quae *meditatores* ſignificat, ſeu *myſteriorum ſcrutatores;* quales apud Perſas Magi ab Ebraeis *Druſim*, id eſt, *meditatores* appellantur, et apud Phoenicas *Ouranoſcopi*, id eſt, *coeli inſpectores*. E noſtris vero ſcriptoribus SEBASTIANVS ROVILLARDVS in ſua *hiſtoria Carnotenſi* contendit, vocem *Dru* meram eſſe vocem Celticam, vocatosque fuiſſe ſacerdotes illos Gallice *les Drus*, et hinc a Graecis et Latinis *Druidas;* vel *Druſidas* appellatos: item vrbem Druidarum, vel Druſidarum *la ville des Drus*, quae hodie *Dreux*. *Dru* autem ſignificat *frequentem*, *denſum*, *crebrum*. Druidae porro frequentes habitabant in eodem collegio, et ſocietatem ſodalitiumque aliquod componebant. Vnde Pythagoras coenobii ſeu homoecii ſui ſumſit exemplum et originem, quem Druidarum auditorem fuiſſe ferunt. MARCELLINVS quidem *lib.* XV. meminit ſodalitii Druidarum, his verbis: *Druidae ingeniis celſiores, vt auctoritas Pythagorae decreuit, ſodalitiis adſtricti, et conſortiis.* Addit ROVILLARDVS ad ſententiae confirmationem, nullam eſſe gentem, quae non ſumſerit nomen a voce, ſeu lingua vernacula et materna; dubitari autem non poſſe, quin Gallia ſuam habuerit ſibique propriam.

Cete-

Digitized by Google

Ceterum non videtur contemnendum, quod de forma habituque Druidarum refert IO. THEOPHILVS, apud MONTANVM, quae in ſex lapideis imaginibus, expreſſa ſe vidiſſe teſtatur, in vetuſtiſſimo ſaxo ad fores templi parieti inſertis. *Erant*, inquit, *ſeptem pedum ſingulae, nudis pedibus et capite inte&ae, Graecanico pallio et cucullato, penulaque, et barba ad inguina vſque promiſſa, et circa naris fiſtulas bifurcata. In manibus liber et baculus Diogenicus, ſeuera fronte et triſti ſupercilio, obſtipo capite figentes lumina terris. Hi quondam apud Gallos ſiue interpretandae religionis, ſiue ſollicitudinis gratia, quo expeditiores inquirendis rerum cauſis eſſent, in nemoribus et ſaltibus conſedere, multitudinemque vulgi ad ſe pellexere.*

An autem Druidae Galli eſſent aborigines; an vero aliunde in Galliam profecti, quaerunt et diſputant docti. Aliqui enim exiſtimant, e Britannia inſula in Galliam veniſſe, et illi ſe tuentur auctoritate CAESARIS ſic ſcribentis *lib.* VI. *Diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata eſſe, exiſtimatur, et nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illo diſcendi cauſa proficiſcuntur.* Alii contra putant, Britannos a Gallis diſciplinam omnem hauſiſſe, et praeallata CAESARIS verba non de inſula Britannia, ſed de Britannia Aremorica interpretantur. Quam Galliarum partem Gomeritas veteres e nauibus egreſſos inhabitaſſe, et primum incoluiſſe, ferunt. Ad cuius rei confirmationem plurimum facit, quod Britones Aremorici habent etiamnum hodie vocabula plurima originis Ebraicae, quorum indicem ROVILLARDVS curioſe contexuit. Itaque Gomeritarum nonnulli, qui in interiores Galliarum partes Carnutumque penetrauerant, ſeu potius Aremoricorum nepotes, memores antiquae progenitorum ſuorum habitationis, ad ea loca proficiſcebantur, quoties rem aliquam accuratius noſſe et intelligere cupiebant, quippe exiſtimabant, ibi retineri adhuc pure ritus antiquos, et obſeruari ad amuſſim, nullo gentium aliarum commercio violatos, aut immutatos. Hinc AVSONIVS enumerans Burdigallenſes Grammaticos, Phoebicium ex eo laudat, quod Beleni aedituus, quodque *ſtirpe Druidarum gentis Aremoricae* ſatus eſſet; *qui Druidae*, inquit VINETVS, *ſunt Aremorici.* Adſtipulatur TACITVS in *Iulio Agricola*, vbi de diſciplina Druidarum. Quaerens enim, an illa a Germanis, an ab Iberis, ſeu Hiſpanis, an a Britannis Inſularibus profluxerit, demum ſic ſtatuit, omnem Britanniae ſuperſtitionem ac perſuaſionem e Gallis profectam. Idem docet PLINIVS *cap.* I. *lib.* XXX.

Origo Druidarum.

Pag. 4.

Digitized by Google

XXX. qui quum dixiſſet, a Druidum magia poſſeſſam fuiſſe Galliam ad ſuam vſque memoriam, ſubdit: *Sed quid ego haec commemorem! in altum oceanum quoque transgreſſa et ad inania naturae peruecta. Britannia hodieque eam attonite celebrat tantis caerimoniis, vt dediſſe Perſis videri poſſit.* Quid? ipſe quoque CAESAR *lib.* IV. ait, Britanniae mores et inſtituta Galliae incognita fuiſſe. Quae certe de Galliae inſtitutis vice verſa dici nequeunt, ſiquidem ab omni aeuo Britanniae communicauit omnis generis diſciplinas, iuxta illud IVVENALIS *ſatyr.* XV.

Gallia cauſſidicos docuit facunda Britannos.

Non eſt igitur audiendus CAMBDENVS in *Britanniae inſulae chorographia*, qui vt probet natales Druidarum ei adſcribi debere, ait, in Dendigenſi agro etiamnum hodie locum exſtare, qui populari appellatione *Lapides Druidum* dicitur. Nam in Gallia quoque vrbs eſt, quae a Druidibus denominatur; et mons, qui Druidum dicitur; Gallice *Mondru*. Nil ergo agit exemplum, quod litem lite reſoluit; nec ſic quaeſtio ſoluitur, quum et in Gallia, et in Britannia, et alibi etiam reperiantur loca nomine Druidum appellata. Nec certius profert argumentum BRIETIVS, quum ait, per Druidas in Galliam fuiſſe translatam religionem, illosque in Mona inſula ad Veſpaſiani tempora perduraſſe. Nam certum eſt, Germanis, Gallis, et Britannis communes fuiſſe Druidas; ſed e Gallia contendimus, ad Britannos et Germanos ſe contuliſſe, ſacrorumque myſteria et religionem longe diutius in Gallia, quam in aliis regionibus perduraſſe, nimirum ad Aureliani et Diocletiani tempora, licet Claudius imperator eos ob immanitatem ſacrificiorum e Gallia expelli iuſſiſſet. Haec de origine Druidarum.

Numerus Druidarum. Ceterum magno illi erant numero, et tanto, vt equitum, ſeu nobilium numerum aequarent. Siquidem CAESAR Gallorum ordines enumerans *lib.* VI. ait, eorum, qui aliquo erant numero, duo potiſſimum fuiſſe genera, vnum ſacerdotum, nempe Druidum: alterum equitum; tertium vero, nempe plebeiorum paene ſeruorum fuiſſe loco habitum. Praeterea Gallos in ea opinione fuiſſe, commemorat STRABO *lib.* IV. vt quo plures eſſent in anno Druidae, eo vberior futura eſſet bonorum omnium adfluentia. Neque ſolum virorum, ſed et mulierum quoque ingens erat numerus, quae *Druadae* appellabantur; ſatis commendatae in hiſtoria Aureliani et Diocletiani,

Digitized by Google

cletiani, quibus (erant enim magiae peritiſſimae) futura praedixerunt. De iis conſuli poſſunt LAMPRIDIVS in *Alexandro Seuero:* VOPISCVS in *Aureliano* et *Numeriano:* AVRELIVS VICTOR in *Claudio:* AIMOINVS in *cap.* I. *prooemii hiſtor. Franc.*

Hinc facile colligitur, tantam hominum multitudinem vno loco conſidere non potuiſſe; ſed multas habuiſſe domos et collegia. In Gallia vero praeſertim Celtica et Comata conſediſſe legimus; at non in vrbibus et magnis ciuitatibus; ſed in lucis et nemoribus, veluti Anachoretas, a ſtrepitu et turba populari remotas ſedes habuiſſe, teſte LVCANO *lib.* I. *Pharſal.* Pag. 5.

Solis noſſe Deos et caeli numina vobis;
Aut ſolis neſcire datum. Nemora alta remotis
Incolitis lucis.

Vnum vero prae ceteris celeberrimum habebant in ſilua Carnotenſi collegium, de quo CAESAR *lib.* VI. et nonnulli auctores, qui Galliarum origines obſeruarunt, notant, in agro Carnotenſi exſtare adhuc veſtigia praeclara palatii Druidum. Ibi reſidere ſolebat ſummus eorum antiſtes, quam ob rem illuc fiebat quotannis conuentus e tota Gallia celeberrimus, in quo lites diſceptabantur, teſte CAESARE, ibidem: *Ii certo anni tempore, in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, conſidunt in luco conſecrato. Huc omnes vndique, qui controuerſias habent, conueniunt, eorumque iudiciis decretisque parent.*

Omne autem Druidarum officium ad IV. ſumma capita reuocari poteſt, quae ſunt ſacrorum procuratio, legislatio, iurisdictio et ſcholarum exercitium, ſeu artium diſciplinarumque profeſſio; quae omnia idem CAESAR vno loco complectitur. *Illi,* inquit, *rebus diuinis interſunt: ſacrificia publica ac priuata procurant: religiones interpretantur. Ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinae cauſa concurrit, magnoque ſunt ii apud eos honore. Nam fere de omnibus controuerſiis publicis priuatisque conſtituunt. Et ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi caedes facta, ſi de hereditate, de finibus controuerſia eſt, iidem decernunt, praemia poenasque conſtituunt: ſi quis priuatus, aut publicus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt: tantis excitati praemiis et ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, et a propinquis parentibusque mittuntur.* De his officiis ſigillatim agendum. *Officium Druidarum.*

CAPVT II.

De academiis et doctrina Druidarum.

PRimi certe omnium gymnaſia et academias habuerunt ſacerdotes illi Gallorum indigenarum eo ordine, quo retulimus; maxime vero Bardi et Druidae, et hi potiſſimum, quos variis in locis per plurima ſaecula ſcholas publicas exercuiſſe maximamque auditorum frequentiam collegiſſe, manifeſtum eſt, tanta non apud ſuos modo, ſed apud ceteras quoque gentes commendatione et nominis exiſtimatione, vt ad eos, tamquam ad veros et ſolos muſarum ſacerdotes, vndique concurſus fieret.

Praefecti ſcholarum. Plura autem habebant collegia in variis Galliarum locis, vt iuuentutis inſtitutioni commodius incumberent: quorum ſingulis praeerat aliquis inter eos primariae notae, veluti gymnaſiarcha; aut praefectus; omnibus vero gymnaſiis, et toti demum Druidarum ordini, quidam rector, veluti pontifex maximus, teſte CAESARE *loco citato: His autem omnibus Druidibus praeſt vnus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit. At ſi ſunt plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur, nonnumquam etiam de principatu armis contendunt.* Quanto vero numero in ſingulis collegiis fuerint, quis dixerit? Certe Gallis perſuaſum erat, quanto plures quoque anno Druidae exſtitiſſent, tanto maiorem agrorum fertilitatem et bonorum omnium prouentum fore, vt ex STRABONE ſupra docuimus.

Ex hoc autem loco CAESARIS ſatis intelligitur, ſummi illius pontificis, ſeu rectoris praefecturam fuiſſe perpetuam; et amplius liquet auctoritate MARCELLINI aientis *lib.* XXVIII. in hoc fuiſſe illius fortunam meliorem, quam regulorum, quod iſti ad tempus crearentur multisque diſcriminibus obnoxii eſſent; iſte nullis, dignitatemque gereret perpetuam. Sic enim de Burgundionum rege et pontifice loquitur: *Apud hos generali nomine rex appellatur Hendinos, et ritu veteri poteſtate depoſita remouetur, ſi ſub eo fortuna titubauerit belli; vel*
Pag. 6. *ſegetum copiam negauerit terra; quemadmodum ſolent Aegyptii caſus eiusmodi adſignare rectoribus. At ſacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur Siniſtus, et eſt perpetuus, obnoxius diſcriminibus nullis, vt reges.* Ceterum ab illo pontifice ceteri ſacerdotes inaugurabantur, et penes eum ſumma ſacro-

Digitized by Google

ſacrorum ſtabat, vt apud Ebraeos, a quibus Galli proximam originem duxerunt.

Porro ampliſſima et frequentiſſima Druidarum academia exiſtimatur fuiſſe in ſilua Carnotenſi, eo loco, vbi nunc vrbs a Druidibus nuncupata, Gallice *Dreux*, et in pagis ſiluae vicinis, qui etiamnum hodie, vt adſerit ROVILLARDVS, *Druidarum domus* dicuntur. Et illuc certo anni tempore mittebantur e reliquis collegiis ſelecti viri ad publicum conuentum, quemadmodum coenobiarchae celebrant ſuum generale capitulum. *Scholae variae.*

Notat quoque CHASSANAEVS, Druidas inſtituiſſe aliud gymnaſium non procul a Bibracte, ſeu Auguſtoduno Aeduorum; in monte ſcilicet, qui a Druidis nomen habet, Gallice *Montedru*. Habebant et aliud in agro Baiocenſi, teſte AVSONIO in *profeſſoribus Burdigalenſibus*, vbi de Attio Patera rhetore:

Tu Baiocaſſis ſtirpe Druidarum ſatus.

Item et aliud Veſontii apud Sequanos, in monte Iouis, ut docet IACOBVS CHIFFLETIVS, vbi ait, fuiſſe muſarum ſedem, eamque ob rem locum etiamnum hodie vocari *campum muſarum*, vulgo *Chamuſe*.

Nullum eſt autem fere diſciplinarum genus, quod Druidae non exercerent. I. Rhetoricam et philoſophiam publice profitebantur, teſte POMPONIO MELA: *Habent*, inquit de Gallis loquens, *facundiam ſuam et magiſtros ſapientiae Druidas.* Huc pertinet, quod LVCIANVS ait de Hercule Gallico, quem Ogmium vocabant, perforatam habente linguam et catenulas aureas, quibus adſtantium et auſcultantium aures attrahebat. Quo ornatu ſuaueloquens Gallorum ſapientia et omnium artium intelligentia ſignificabatur. *Diſciplinarum et artium genera.*

II. Mathematicas diſciplinas, geometriam et aſtrologiam, eodem MELA teſte, exercebant. *Hi terrae mundique magnitudinem et formam, motus caeli et ſiderum, ac quid Dii velint, ſcire profitentur.* Idem docet CAESAR *lib.* VI. *Multa praeterea de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalitate ac poteſtate diſputant et iuuentuti tradunt.* Meminit CICERO *lib.* I. *de diuin.* cuiusdam Diuitiaci Druidae in aſtrologia, vt vocant, iudiciaria peritiſſimi. *Et in Gallia*, inquit, *Druides ſunt, e quibus ipſe Diuitiacum Aeduum cognoui, qui et naturae rationem, quam phyſiologiam Graeci appellant,*

Digitized by Google

notam eſſe ſibi profitebatur, et partim auguriis, partim coniectura, quae eſſent futura, docebat. Erant et feminae huius artis gnarae, *Druadae;* vel *Druiades* dictae. VOPISCVS: *Dicebat enim quodam tempore Aurelianum Gallicanas conſuluiſſe Druiadas.* Sic lege, non Druidas. Et in *Numeriano: Vt impleret Druiadis dictum, et cum Druiade quadam muliere rationes conuictus ſui quotidiani faceret.* LAMPRIDIVS in *Alexandro Seuero: Mulier Druias eunti exclamauit Gallico ſermone*, cet. Tales erant apud Graecos mantiſſae, Hypatia, Baro, Demo et Theano, cuius mentionem facit AVSONIVS in *vltimo carmine parentalium.* Notat SVIDAS Meſium, Senonum regem, et Gannam virginem cum Bleda in Gallia vaticinio florentes ad Domitianum veniſſe ab eoque honorifice ſuſceptos domum reuertiſſe.

III. Medicinam quoque profitebantur, vt videtur innuere PLINIVS *lib.* XXX. *cap.* I. *Tiberii Caeſaris principatus*, inquit, *ſuſtulit Druidas Gallorum et hoc genus vatum medicorumque.* Et reuera e viſco roboreo medicamentum aliquod componebant Druidae, quo vtebantur, tamquam praeſentiſſimo antidoto ad omnes morbos, ac proinde viſcum eiusmodi ſua lingua *omnia ſanantem* appellabant, teſte eodem PLINIO *in fine lib.* XVI.

IV. Nec dubium, quin iurisprudentiam quoque profiterentur: quippe de publicis priuatisque controuerſiis, hoc eſt, de ciuilibus et capitalibus conſtituebant, teſte CAESARE *libro* ſaepe *citato: Si quod eſt admiſſum facinus, ſi caedes facta, ſi de hereditate, de finibus controuerſia eſt, iidem decernunt et praemia poenasque conſtituunt.*

V. Theologiam ipſam et altiſſima myſteria tractaſſe et docuiſſe, ex eodem auctore confirmatur. *Illi diuinis rebus interſunt, ſacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur.* Praecipua vero huius doctrinae pars erat de animarum immortalitate. Nam vt indicat STRABO *lib.* IV. docebant ἀφθάρτους εἶναι τὰς ψυχὰς, *animas interitus expertes eſſe.*

Pag. 7. Verum circa hanc materiam diſputant docti, quam illi immortalitatem animabus attribuerint. Quidam enim exiſtimant, docuiſſe tantummodo transmigrationem earum in alia et alia ſubinde corpora, quos ſequutus eſt PYTHAGORAS, eorum diſcipulus. Iuxta quam ſententiam credebant Iudaei, Eliam et Ioannem Baptiſtam reuixiſſe in Chriſto. Fauet CAESAR: *Inprimis*, inquit, *hoc volunt*

perſua-

perſuadere, non interire animas; ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. CAESARI ſuccenturiatur VALERIVS MAXIMVS *lib.* II. *cap.* VI. *Vetus ille mos Gallorum occurrit, quos memoria proditum eſt pecunias mutuas, quae his apud inferos redderentur, dare ſolitos, quia perſuaſum habuerunt, animas hominum immortales eſſe. Dicerem ſtultos, niſi idem Braccati ſenſiſſent, quod palliatus Pythagoras credidit.* Idem docet DIODORVS *lib.* V. *ἐνισχύει παρ' αὐτοῖς ὁ Πυθαγόρου λόγος, ὅτι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἀθανάτους εἶναι συμβέβηκε, καὶ δι' ἐτῶν ὡρισμένων πάλιν βιοῦν, εἰς ἕτερον σῶμα τῆς ψυχῆς εἰσδυομένης,* id eſt, *Pythagorae apud eos inualuit opinio, quod animae hominum immortales, in aliud ingreſſae corpus, definito tempore denuo vitam capeſſant.*

Contra alii exiſtimant, Druidas credidiſſe veram animarum immortalitatem, atque poſt exitum e corpore aeternam eas ducere vitam apud Manes; ſeu in campis Elyſiis; vel in limbis, vbi erant primorum parentum animae ante Chriſti aduentum. Quam doctrinam veriſimile eſt, eos per continuam ſucceſſionem atque traditionem a Noëmi nepotibus, primis ſcilicet Galliarum cultoribus et rectoribus hauſiſſe. Huic ſententiae fauere videtur MELA *lib.* III. *cap.* II. ſic aiens: *Vnum ex iis, quae praecipiunt, in vulgus effluit, videlicet vt forent ad bella meliores, aeternas eſſe animas, vitamque alteram ad Manes. Itaque quum mortuos cremant ac defodiunt, apta viuentibus olim negotiorum ratio etiam et exactio crediti differebatur ad inferos, erantque, qui ſe in rogos ſuorum velut vna victuri libenter immitterent.* Eidem ſententiae adſtipulatur LVCANVS paullo aetate poſterior *lib.* I. *Pharſal.*

Vobis auctoribus vmbrae
Non tacitas Erebi ſedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt. Regit idem ſpiritus artus
Orbe alio, longae (canitis ſi cognita) vitae
Mors media eſt.

Quorum verſuum ſenſus eſt, animas defunctorum non quidem tranſire in alia et alia corpora; ſed rurſum idem corpus animare, et aliam vitam poſt mortem viuere, ita, vt mors inter duas illas vitas media ſit. Quae ſententia omnino catholica eſt. Hinc igitur perſuaſi et excitati Galli Germanique mortem contemnebant, et in praelia fortiter ruebant, vt canit idem poëta:

Populi quos deſpicit Arctos
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud vrget leti metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaeque capaces
Mortis, et ignauum eſt rediturae parcere vitae.

Quae vero Druidis ratio fuit tradendae diſciplinae et docendi? Nemo CAESARE melius et clarius explicat. Sic enim ille *libro citato: Druides a bello abeſſe conſueuerunt; neque tributa vna cum reliquis pendunt, militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem: tantis excitati praemiis, et ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, et a propinquis parentibusque mittuntur. Magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent; neque fas eſſe exiſtimant, ea litteris mandare, quum in reliquis fere rebus publicis priuatisque rationibus Graecis litteris vtantur.* Ex quo loco multa colligimus in hanc materiam ſcitu digniſſima.

I. Cauſam frequentiae tam magiſtrorum, quam diſcipulorum, fuiſſe immunitates et priuilegia, quibus fruebantur. Hanc enim ob rationem maxime parentes liberos ſuos tradebant Druidis in diſciplinam, vt priuilegiis illis gauderent. Nam equites, ſeu nobiles bellis et bellicis ſumtibus erant adſtricti: plebeii tributis onerabantur: ſoli ſacerdotes et magiſtri cum diſcipulis immunes erant omni onere.

II. Druidae philoſophiam ſuam artesque alias verſibus comprehenſas tradebant diſcipulis memoriter ediſcendas, iuxta veterum Graeciae philoſophorum morem, Empedoclis, Parmenidis, Meliſſi, Xenophanis: nimirum, vt facilius, celerius et certius memoriae
Pag. 8. mandarentur, quaecumque ita tradebantur. Nam vt ait SENECA *epiſt.* 33. *facilius et tenacius puerorum animis inſidunt, quae ſunt numeris circumſcripta et carminis modo incluſa.* Sed quinam erant illi verſus? HOTOMANVS in *notis ad Caeſarem,* et quidam alii, nomine verſuum lineas et paragraphos intelligi volunt, quemadmodum apud probatos auctores ſaepe vſurpari videmus. Verum alii longe probabilius veros verſus intelligunt certis pedibus conſtantes, heroicos et hexametros: quo modo Bardi celebrabant virorum de republica bene meritorum praeclare geſta; quo modo etiam Germani veteres Deorum ſuorum laudes praedicabant, teſte TACITO in ſua Germania: *Celebrant,*

Digitized by Google

Celebrant, inquit, *carminibus antiquis, quod vnum apud illos memoriae et annalium genus eſt, Tuiſtonem Deum terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque.* Idem tradit STRABO *lib.* III. de Turdulis, gente Hiſpanica: *Antiquitatis habent monumenta conſcripta, et poëmata ac leges metro incluſas a ſex, vt aiunt, annorum millibus.* Idem Mazacenorum in Cappadocia legum interpretem appellat Νομῳδὸν, id eſt, *legum cantorem*, et Zoroaſter, qui primus diuinas humanasque artes docuiſſe dicitur, teſte HERMIPPO apud PLINIVM, de philoſophia ſua vicies centum millia verſuum compoſuit. Vnde intelligimus, hunc morem fuiſſe antiquitus vſitatiſſimum.

III. Nihil illi ſcriptis; ſed omnia memoriae diſcipulorum conſignabant. Cuius inſtituti duplicem CAESAR cauſam adfert, his verbis: *Id mihi duabus de cauſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint; neque eos, qui diſcunt, litteris confiſos minus memoriae ſtudere: quod fere plerisque accidit, vt praeſidio litterarum diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittant.*

Quod ad *primam cauſam* attinet, ea gentibus omnibus communis olim fuiſſe videtur. Vnde qui ſacris initiabantur, iuramento ſilentii adſtringi ſolebant, ne quid forſan effutirent eorum, quae vidiſſent in ſacris; aut audiuiſſent. Hinc illud HERODOTI *lib.* II. de Aegyptiorum theologia: *Quae mihi de Diis narrarunt, ea exponere, vel ſcripto mandare, non libet; niſi nomina eorum tantum, quod idem de illis omnes homines ſcire exiſtimem.* Itaque omnium paene gentium philoſophi ac theologi praecepta ſua aut memoriae tantummodo mandabant, et idemtidem repetendo imprimebant; aut ſignis notisue quibusdam vulgo ignotis implicabant, ne ſacra profanis euulgare tenerentur. Sic de Ebraeis CLEMENS ALEXANDRINVS obſeruauit. Eadem ratio Pythagorae fuit. Eadem Aegyptiorum in notis hieroglyphicis, Pythagoraeorum, Cabbaliſtarum, Brachmanum apud Indos etiamnum hodie, vt colligimus ex epiſtola FRANCISCI XAVERII, de quodam eorum diſcipulo ſic ſcribentis: *Quum ambo ſimul eſſemus, arcana mihi quaedam commiſit, primum a ludi rectore hoc agi, vt quos habiturus eſt auditores, iureiurando compellat, numquam ſe ea, quae audituri ſunt, myſteria reuelaturos.*

Altera ratio, quam adfert CAESAR, quam ob rem Druidae nihil litteris, ſed omnia memoriae mandarent, ne videlicet litteris confiſi minus memoriae ſtuderent; eadem fuit Aegyptiorum initio, cur nullis

nullis litteris vterentur, teſte apud PLATONEM Socrate in *Phaedro: Audiui equidem*, inquit, *circa Naucratim Aegypti priſcorum quemdam fuiſſe Deorum, cui dicata ſit auis, quam Ibin vocant; Deo autem ipſi nomen Theuth. Hunc primum omnium numeri computationem inueniſſe, geometriamque et aſtronomiam, talorum alearumque ludos, et litteras. Erat autem tunc totius Aegypti rex Thamus in eminentiſſima ampliſſimaque vrbe, quam Graeci Aegyptias Thebas appellant, Deumque ipſum Ammonem. Ad hunc regem Theuth profectus artes ei demonſtrauit ſuas dixitque, eas diſtribui deinceps ceteris Aegyptiis oportere. Verum ille, quae cuiusque vtilitas foret, interrogauit, et ipſo referente, quod bene dictum videbatur, probabat quidem; quod contra, vituperabat. Vbi multa de qualibet arte in vtramque partem Thamus fertur Theutho oſtendiſſe, quorum ſingula ſi enarrare pergamus, prolixa erit oratio. Quum vero ad litteras deſcendiſſent, diſciplina haec, inquit Theuth, o rex, ſapientiores et memoria promtiores Aegyptios faciet. Memoriae namque et ſapientiae remedium eſt id inuentum. At ille, o artificioſiſſime Theuth, inquit, alius equidem ad artis opera fabricanda idoneus eſt, alius ad iudicandum promtior, quid emolumenti damniue ſint vtentibus adlatura? atqui et tu litterarum pater propter beneuolentiam, contrarium quam efficere valeant, adfirmaſti. Nam illarum vſus propter recordationis negligentiam obliuionem in animis diſcentium pariet: quippe qui externis litterarum confiſi monumentis res ipſas intus animo non re-*
Pag. 9. *uoluent. Quam ob rem non memoriae, ſed monitionis remedium inueniſti: ſapientiae quoque opinionem potius, quam veritatem diſcipulis tradis. Nam quum multa abſque praeceptoris doctrina perlegerint multarum rerum periti, vulgo quam ignari ſint, videbuntur. Conſuetudine quoque et conuerſatione moleſtiores erunt, vtpote qui non ſapientia ipſa ſint praediti; ſed opinione ſapientiae ſubornati.*

IV. Plures annos in auditione Druidum magiſtrorum ponebant diſcipuli, vicenosque ipſos philoſophiae ſub iis vacabant. Nec mirum. Quum enim omnia memoriae traderent, nihil litteris, nihil ſcripto; diutius erat in ſcholis immorandum. Germani antiquitus tantumdem ſuae philoſophiae impendebant, immo amplius. Indi nonnumquam XXXVII. annos, vt ex MEGASTHENE refert STRABO *lib.* XV. *quum XXXVII. annos ſic vixerint, ad ſua quemque regredi, et laxius licentiusque viuere.* Ariſtoteles ipſe Platonem magiſtrum audiuit per XX. annos. Idem autem confirmat de noſtris Druidis MELA; et addit, nobiliſſimos gentis ſub eorum ductu exerceri ſolitos: *Docent multa nobiliſſimos gentis clam et diu vicenis annis:* recte quidem

dem et prudenter, inquit CLVVERIVS; horum quippe ſumma poſtea in reliquos futura erat auctoritas, quae minus rite plebeiis conueniebat hominibus. Exiſtimabant enim veteres, iniuriam fieri nobiliſſimis artibus, quum a plebeiis et vilibus mancipiis colebantur.

V.tum eſt de lingua, qua Druidae vtebantur in tradendis diſci- *Lingua.*
plinis. Et circa hoc quaeſtionem mouent curioſi, quaenam eſſet lingua Gallorum primigenia. Aliqui exiſtimant, Britannis inſularibus et Gallis communem fuiſſe ſermonem, vt colligitur ex multis vocibus, quae adhuc in Wallia Britanniae vigent. Puta Galli Iouem tonantem vocabant *Taranim*, Britannis *Taran tonare* eſt. *Caterua* et *Cataya* voces Gallicae ſunt, *Kad* Britannis *bellum* ſonat. *Couinum* Belgis *vehiculi genus* eſt, *Koua* in Britannis eſt *curru vehere*. *Armoricae* ciuitates et *Morini* a mari nomen habuere, Britannis *Ar-mor ad mare* ſignificat. Sed quid inde? Galline a Britannis linguam mutuati ſunt? an contra? Ex hisce vocibus hoc ſolummodo poteſt colligi, vicinas regiones habuiſſe quaedam vocabula communia et adfinia, dialectis differentia: ita Aquitanos cum Hiſpanis, Treueros cum Germanis, Neruios cum Belgis multa habuiſſe communia. Immo licet vna lingua eſſet Gallicana, omnibus Galliae populis communis; Aquitani tamen, Celtae et Belgae dialectis differebant, vt notauit STRABO *initio lib.* IV. *ὀυχ ὁμογλώττους, ἀλλὰ μικρὸν παραλλάττοντας ταῖς γλώτταις.* Hinc patet, quomodo ſint explicanda haec verba CAESARIS: *hi omnes lingua, inſtitutis, legibus inter ſe differunt*; ſcilicet haec non abſolute; ſed ſecundum varias eiusdem linguae dialectos ſunt interpretanda.

Alii exiſtimant, vernaculam Gallorum veterum linguam eamdem fuiſſe cum Armoricana, hoc eſt, cum ea, qua hodie vtuntur Britanni Aremorici, quam hactenus illi, propterea quod rarum habent cum ceteris gentibus commercium, incolumem retinuerunt. Primi enim Galli, duce Gomero, ſeu Aſchenaze, in Aremorica conſediſſe creduntur, vnde nepotes profecti, et interiores Galliarum partes occupantes, aſperitatem idiomatis paullatim demitigarunt.

Nonnulli cum GLAREANO Celtarum linguam eamdem fuiſſe putant cum Heluetica, aut Treuirenſi, quia D. HIERONYMVS ait, Galatarum Aſiaticorum, qui ex Gallia profecti in Aſia conſederant, ſimilem habuiſſe linguam ei, qua loquebantur Treuiri ſuo tempore.

Sed haec ſententia communiter reiicitur ex eo, quod TACITVS *de moribus Germanorum* ſcribens colligit, Gothinos non fuiſſe Germanicae gentis, quia Gallica lingua vtebantur.

ROVILLARDVS et quidam cum eo exiſtimant, veterum Gallorum vernaculam non omnino diſcrepaſſe ab ea, qua vtimur, niſi quod aſperior erat et impolitior. Et licet multa vocabula in deſuetudinem lapſu temporum abierint; multa tamen retulimus antiqua, vt ſunt haec inter alia *un trepied*, *lieüe*, *le bec*, quae Latinitate ſic donata ſunt, *tripetia*, *leuca*, *beccus*. Quae autem mutatio aduenerit, poſtquam Phocenſes Graeci Maſſiliam condiderunt, et Romani Gallias occuparunt, infra in academia Maſſilienſi dicetur.

CAPVT III.

Pag. 10.

De religione et ſacrificiis Druidarum.

DRuidae non tantum litteris diſcipulos ſuos inſtituebant; ſed bonis quoque moribus et virtutibus informabant; in primis vero Dei timorem imprimere connitebantur; vnde illi, vt religionis principes, ſumma in veneratione erant, et ad omnia ſacra adhibebantur. Quae autem fuerit Gallorum religio, quae de Deo opinio, quibusue ſacrificiis vterentur, operae pretium eſſe videtur inueſtigare. Tria vero potiſſimum ad hanc materiam illuſtrandam pertinent; quos nempe Deos colerent, quo loco, et quibus ſacrificiis.

Atque hoc in primis animaduerſione dignum eſt, quod ſcribit CAESAR, Gallos omnes ſe a Dite progenitos praedicare, idque a Druidibus proditum habere. Nam licet ſatis probabiliter aliquibus videatur CLVVERIVS hanc vocem deducere ab hac originali *Thoth*, vel *Theuth*; quam varii populi variis dialectis pronuntiarunt, aliqui *Tit*; aut *Tuit*: nonnulli *Zeus*, *Seus*: Latini *Deus*, deinde *Dis*; hincque Ditem accipiendum pro Mercurio, quem Galli vt ſupremum Deorum agnoſcebant; aut pro Ioue; nihilominus non adeo videtur eſſe reiicienda ROVILLARDI coniectura, aientis, per Ditem intelligendum eſſe Adam protoplaſtum. Nam quum ex omnium hiſtoricorum fide certum ſit, Gomerum ſeu Aſchenazen, cum aliis Noemi nepotibus Galliam primos inhabitaſſe, non aliam religionem inſtituiſ-

ſtituiſſe videntur, quam eam, quam a parentibus didicerant. Sciebant autem, Adam primum peccauiſſe, et primum mortem in mundum intuliſſe, ac proinde recte patrem mortuorum appellari. Nec aliunde Graeci videntur accepiſſe hanc vocem Ἅδης, qua Plutonem, Deum terrae, diuitiarum, et mortuorum ſignificauerunt, quam ab Ebraeorum fonte Adam, qui princeps terrae omniumque mundi diuitiarum conſtitutus eſt, mortuorum deinde caput et parens per peccatum effectus. Hinc quoque Galli ab eodem fonte primum ſuum patrem appellarunt; CAESAR vero rei ignarus aut vocem deprauauit et detorſit, Ditemque appellauit; aut, quem illi Adam aut Ἅδην more et ſermone Graeco, quo illis temporibus vtebantur, Plutonem, quem Latini Ditem appellabant, ſignificari exiſtimauit.

Ad fulciendam ROVILLARDI coniecturam facit, quod quum CAESAR ait, ſe a Dite patre progenitos, non Ditem pro Deo accipere videatur, ſed pro homine gentis principe, quia paullo ante Deos, quos colebant, enumerans, Ditis nullo pacto meminit, quem certe non omiſiſſet, ſi eum pro Deo habuiſſent. Sic ergo ille: *Galli ſe omnes a Dite patre prognatos praedicant, idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam cauſam ſpatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt, et dies natales, et menſium et annorum initia ſic obſeruant, vt noctem dies ſubſequatur.* Quem locum facile eſt de Adamo explicare, quem LXX. interpretes plurimis in locis pro *morte* interpretantur. Hinc nox, ſeu mors ab eo; dies vero, lux et vita a Chriſto; diem vero ideo nocti poſtponebant, quia nox praeceſſit per peccatum, dies vero ſucceſſit per redemtionem.

Quod ad Deos Gallorum attinet, CAESAR loco ſaepe citato ſic ait: *Deum maxime Mercurium colunt. Huius ſunt plurima ſimulacra. Hunc omnium inuentorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quaeſtus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Poſt hunc Apollinem et Martem et Iouem et Mineruam. De his eamdem fere, quam reliquae gentes, habent opinionem: Apollinem morbos depellere: Mineruam operum atque artificiorum initia transdere: Iouem imperium caeleſtium tenere: Martem bella gerere: huic quum praelio dimicare conſtituerunt, ea, quae bello coeperunt, plerumque deuouent: quae ſuperauerint animalia capta immolant, reliquas res in vnum locum conferunt.* *Dii Gallorum.*

Non eſt vero exiſtimandum, hisce nominibus Deos illos fuiſſe a Gallis appellatos, ſed ex officiis, quae illis attribuebant, CAESAR

 con-

Pag. 11. coniecit tales eſſe Deos. At LVCIANVS *lib.* I. *Pharſal.* verba faciens de exercitu Caeſaris, ait, in eo fuiſſe Gallos, per quos Dii Gallorum praecipui, Theutates, Heſus et Taranis, placarentur, quae certe propria fuerunt Deorum vocabula, ſi Latinam dialectum excipias:

> *Et quibus immitis placatur ſanguine diro*
> *Theutates, horrensque feris altaribus Heſus,*
> *Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae.*

Item LACTANTIVS *lib.* I. *inſtit. cap.* XII. ſcribit, Gallos hominum cruore placare ſolitos Heſum et Theutaten. Porro per *Theutaten* omnes intelligunt Mercurium, per *Heſum* Martem, per *Taranim* Iouem. De *Theutate* primum agamus, quae vox deriuatur a primitiua Theuth, quae Deum ſonat: quomodo Aegyptii Mercurium ſuum appellabant. CICERO *lib.* III. *de nat. Deor.* attribuit quinto Mercurio legum et artium inuentionem: *Hunc*, inquit, *Aegyptii Touth (al. Thoyth, Thoth) appellant, eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur.* LACTANTIO *lib.* I. *c.* VI. Theuthus dicitur; vel Thot: PLATONI in *Phaedr.* Theuth, de quo ante diximus. Ab hac autem voce profluxerunt apud Gallos et Germanos, Graecos et Latinos iſtae, *Theath, Theoth, Theut, Thiat, Theuth, Tiat, Tiot, Tuit:* Item *Dead, Deid, Deod:* Θεὸς, Ξεὸς, Ζεὺς Dorice et Laconice, item Δεὺς, et Latine *Deus*, Gall. *Dieu.* Ab eadem Germani *Theutones* et *Thuitones* dicti: item *Thudiſci* et *Thudiſca lingua.*

Quum ergo Theutates apud omnes gentes communiter pro Deo habitus ſit, non potuit non cenſeri verus Deus, rerum omnium conditor, quem Galli praecipue celebrabant. Huius Theutate filium Germani veteres aiebant fuiſſe Mannum, teſte TACITO: Manno item tres filios adſignabant. Item Mercurium appellabant Wodan; vel Gwodan. Vnde vſque hodie, inquit GOTTFRIEDVS VITERBIENSIS in *chronico*, *Goth Theutonica lingua dicitur Deus.* Franci veteres eamdem vocem in Galliam inuexerunt, et hodie haec vocabula ſunt adhuc in vſu, *Bigot* et *Cagot*, quibus ſuperſtitioſos notamus in cultu diuino. Hinc quoque orta videntur ruſticorum iuramenta, *Vertugoy, Morgoy, Sangoy, Iernigoy*, quae ſatis facilem ex ſe ipſis continent explicationem.

Quem

Digitized by Google

Quem autem Latini Martem, Galli *Heſum* appellabant. Vocem deriuat ROVILLARDVS ab Ebraeo *Iebus*, quo ſignificatur *Deus exiſtens, vir conſtans, propbeta, conſiliarius*, quod epithetum tribuit Eſaias Deo Immanuel; vel a Phoenicio *Iebud*, i.e. *vnicus Dei filius*, teſte EVSEBIO *lib.* I. *c.* VII vel a *Ieboua*. Galli enim ignari venturi Meſſiae, nihilominus ea, quae per traditionem acceperant, retinuiſſe videntur. Adde, quod ante verſionem LXX. interpretum, teſte IOSEPHO, patriarcharum ſcripta in alias linguas peregrinas verſa fuerant, vt poſſent ab omnibus intelligi; at variata ſunt vocabula poſt confuſionem linguarum. Addit ROVILLARDVS, ſingulari Dei prouidentia contigiſſe, vt Galli Heſi nomine Martem intelligerent, qui Deus exercituum cenſetur, et Deus fortis appellatur, quod proprium eſt Meſſiae Ieſu attributum. Dicitur enim Deus fortis, Deus Sabaoth, i. e. Deus exercituum. Praeterea locus, in quo Druidae Heſum adorabant, hodie etiamnum, eodem teſte, vocatur *locus SS. Fortium, des Saints Forts.*

Quod ad *Taranim* attinet, ſic appellabant Galli et plurimi Europaei Iouem tonantem. Hinc ſecundum varias dialectos Taran, Thoran, Tonar, Donnar, Tordan, Dondar et Tondar, *tonare* ſignificat. Et hodie etiamnum Walli, Britanniae inſulae populi tonitru vocant *Taran*. Sic Saxones *donner* dicunt et *tonner:* Belga *donder:* Angli *Tho dunder*. Sed haec vocabula a Latino *tonare* videntur potius deducta. Porro ROVILLARDVS putat, Taranem fuiſſe ſolummodo Heſi Dei epitheton ab Ebraeo Tharanis, vel Tranis, id eſt, *repurgans homines;* quod proprie conuenit Meſſiae, qui homines a peccati labe purgauit.

Apollinem quoque ſub nomine *Beleni* adorabant Galli; ſeu potius hoc nomine Deum vocabant. Quam vocem aliqui a Graeco *βάλλειν* deducunt, id eſt, *iaculari*, quia ſol radios in terram iaculatur: minus id quidem probabiliter, quum Galli eſſent Graecis antiquiores. Alii a fonte Ebraeo *Baal*, id eſt, *dominus, berus, poſſeſſor:* Babylonice et Syriace *Bel* et *Beel*. Sic quoque idololatrae Deos ſuos Baalim appellabant. Vnde dialectus Gallicana Belin et Belen, et Latina Belus et Belenus. Phoenices Deum caeli et Deum ſolis Beelſames; vel Baal-ſimen appellabant; a quo fonte deducunt etiam vocem Beelzebud, id eſt, patronus ridiculus.

Porro huiuſce Dei ſacerdotes ſpeciali nomine vocabantur *Paterae*, vt ex AVSONII verſibus liquet, ſic aientis de Attio Patera rhetore, Delphidii Tironis patre:

Pag. 12. *Beleni ſacratum ducis e templo genus,*
Et inde vobis nomina.
Tibi Patera (ſic miniſtros nuncupant
Apollinaris Myſtici)
Fratri patrique nomen a Phoebo datum,
Natoque de Delphis tuo.

Locus ſacrorum. Iam de loco, in quo Druidae Deos adorabant, dicendum. Commune fuit olim omnibus gentibus, Deum in aperto colere, non in templis manu hominum factis. Vnde illud Zenonis, Theodori aliorumque Graeciae ſapientum ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖσθαι. Perſae, teſte HERODOTO *lib.* I. neque ſtatuas, neque templa, neque aras olim exſtruere ſolebant, quinimmo veſanos reputabant contrarium facientes. Rationem hanc ſubiungit, *quia non ex hominibus Deos eſſe ortos arbitrantur, quemadmodum Graeci.* Non probat hunc morem CICERO II. *de leg. Deorum*, inquit, *delubra in vrbibus eſſe cenſeo. Nec ſequor Magos Perſarum, quibus auctoribus Xerxes inflammaſſe templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum eſſet et mundus.*

Certe hoc habebant Perſae a populo Ebraico. Nam Adamus, primus mortalium parens, non in templo, ſed in paradiſo terreſtri ſacra Deo faciebat, et Abrahamus poſt pactum cum Abimelecho foedus, in luco, quem plantauit prope puteum iuramenti, dictum Berſabee. Ita nec Galli antiquitus vlla memorantur habuiſſe templa: ſicut nec Germani, teſte TACITO: *Nec cohiberi parietibus Deos; neque in vllam humani oris ſpeciem aſſimilari, ex magnitudine caeleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reuerentia vident.* Hinc CLAVDIANVS *lib.* I. *de laud. Stilic.* ſcribit, non licuiſſe venari prope ſiluam Hercyniam, propter lucos Diis conſecratos arboreſque, ad quas ſacra fiebant:

Vt procul Hercyniae per vaſta ſilentia ſiluae
Venari tuto liceat, lucoſque vetuſta
Religione truces, et robora numinis inſtar
Barbarici noſtrae feriant impune ſecures.

Tangit

Tangit Gallorum morem, qui non ad quamuis arborem, ſed maxime ad quercum, ſeu robur ſacris operabantur, qua arbore nulla erat apud eos ſacratior, teſte PLINIO *lib.* XVI. *cap.* 44. *Nihil habent Druidae viſco et arbore, in qua gignatur, ſi modo ſit robur, ſacratius. Iam per ſe eligunt roborum lucos; nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt.* Vnde LVCANVS *lib.* III. deſcribens obſidionem Maſſilienſem, ait, Caeſarianos milites non ſine ingenti tremore ſecuri feriiſſe ſacras illas arbores;

Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Maieſtate loci, ſi robora ſacra ferirent.
In ſua credebant redituras membra ſecures.

Neque habebant aliud Deorum ſimulacrum, quam altas quercus, teſte MAXIMO TYRIO, *diſſert.* XXXVIII. *Inter Barbaros, qui Deum non agnoſcat, nemo eſt. Alii tamen alia ei ſtatuunt ſigna. Celtae Iouem colunt; Iouis autem ſimulacrum apud eos eſt alta quercus.* ἄγαλμα δὲ Διὸς Κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς. Forte tamen a Phocenſibus ſimulacra Deorum efformare edocti ſunt, ſiquidem CAESAR ait, fuiſſe Mercurii plura apud eos ſimulacra.

Reſtat, vt de ſacrificiis Druidum agamus. Et primum de ſacerdotibus eorumque habitu, cultu et ornatu: deinde de victimis, rituque immolandi. Certum eſt ex CAESARE, DIODORO et STRABONE, nullum ſacrificium fieri ſolitum ſine Druidis, quippe qui ſacrificia omnia, publica et priuata, procurabant, et per eos, quaſi per internuntios bona omnia a Diis expetebantur. Quum vero ad ſacrificandum accedebant, Ebraeorum omniumque fere gentium more, candidas veſtes et tunicas induebant. PLINIVS *loco* ſupra *citato: Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce aurea demetit. Candido id excipitur ſago.*

Victimas immolabant duplicis generis, homines et animalia. De hominibus infra dicetur. Animalia omnis quidem generis; at in ſolemni viſci decerptione candidos tauros quernea fronde coronatos, eodem PLINIO teſte: *Sacrificiis epuliſque rite ſub arbore praeparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur.* Sed quo ritu quibusue caerimoniis id peragerent, placet fuſius enarrare ex eodem auctore. *Nihil habent*, inquit, *Druidae, (ita ſuos appellant Magos) viſco et arbore, in qua gignatur, ſi modo ſit robur, ſacratius.* Pag. 13.

Iam

Iam per ſe roborum eligunt lucos; nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Graeca Druidae poſſint videri. Enimuero quidquid adnaſcatur illis, e caelo miſſum putant ſignumque eſſe electae ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inuentu, et repertum magna religione petitur, et ante omnia ſexta luna, quae principia menſium annorumque bis facit, et ſaeculi poſt triceſimum annum, quia iam virium abunde habeat; nec ſit ſui dimidia. Omnia ſanantem appellantes ſuo vocabulo. Sacrificiis epulisque rite ſub arbore praeparatis duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce aurea demetit. Candido id excipitur ſago. Tum deinde victimas immolant, precantes, vt ſuum donum Deus proſperum faciat his, quibus dederit. Fecunditatem eo poto dari cuique animali ſterili, arbitrantur, contraque venena omnia eſſe remedio.

In hunc locum notat ROVILLARDVS, non ſine myſterio dici Druidas ſexta luna petere viſcum magna religione, et ſacrificium facere ſolitos: id religioni chriſtianae applicans, quae magno cultu ſacrum diem Veneris in paraſceue celebrat. Sextam autem lunam vocari, quae nobis eſt ſexta dies hebdomadae, ſeu dies veneris. Nam vt ſupra dictum eſt, Galli non dies et ſoles; ſed lunas et noctes numerabant. Vnde etiamnum hodie haec vox Gallo-Romana *annuict* pro *aujourdhui*, more ſcilicet Ebraeorum et Chaldaeorum, qui a veſpera ad veſperam, non ab oriente ſole ad occidentem dies numerabant. Idem quoque notat, non ſine myſterio et ſpiritu prophetico quercum Druidis in tanta veneratione fuiſſe, quia vnum e lignis, ex quibus Chriſti crux compacta fuit, quercus fuiſſe, dicitur.

De viſco querneo. Ceterum nouo potiſſimum anno ſacrificium iſtud facere ſolebant, atque idcirco indicta ſcholarum vacatione mittebant pridie diſcipulos ad inquirendum et inueſtigandum viſcum. Vnde vulgatus iſte verſus:

Ad viſcum Druidae, Druidae clamare ſolebant.

Quippe illi eo reperto populum inuitabant ad auſpicandum nouum annum. *Principium anni*, inquit THEODORVS MARCILIVS, *Druidae ſolemnibus caerimoniis auſpicati ad viſcum magno clamore populum vocabant. Cuius caerimoniae veſtigia hodieque in Galliae prouinciis omnibus cernere aliqua licet.* Quae porro veſtigia? Docet VINETIVS in *notis ad Auſonium:* „Morem ſcilicet eſſe; ſed fere exoleuiſſe, vt quotannis pridie ca-

„lendas

lendas Ianuar. nonnulli ex ſingularum curiarum, ſeu parochiarum „ adoleſcentibus, quini, ſeni, ſepteni, octeni, noueni, deniue cunctos „ ſuae curiae vicos villasque, et qui in circumiectis curiis ſunt pro- „ ximi, cum tibicine obeant: carmine ſtipem petant: aliquid lari- „ di aut panis, quod verubus infixum aſportant; aut pecuniae quid- „ piam accipiant: poſtridie quidquid collectum fuit, in aedem con- „ uenientes, numini offerant: id ſtatim auctione vendatur: ea pe- „ cuniola, vt Deo conſecrata in ſacros vſus recondatur. Quod au- „ tem carmen inconditum canunt, quum ſtipem accipiunt, et quo „ die id faciunt, *Aguilanneuf* vocitant. „ Haec VINETVS.

Quid autem vox iſta ſignificet, refert idem ex MERLINO SANGELASIANO Engoliſmenſi, ad quem exſtant CHRISTOPHORI LONGOLII quaedam litterae. *Aguilanneuf, Aguilanneuf, id eſt, ad viſcum. τὸν annum nouum eſſe, dicebat, moremque iſtum ex vetere Druidarum religione ad nos manaſſe: quippe per ſuos adoleſcentes ita cunctis viſcum ſuum anni principio mitterent, quod qui ferrent, iis aliquod quaſi laboris praemium daretur, clamarentque omnes, eo viſo, annum eſſe nouum.* Idem ſcribit MERVLA *part.* II. *coſmogr. lib.* III. *c.* 11. *Sunt*, inquit, *qui illud* Au gui l'an neuf, *quod hactenus quotannis pridie cal. Ian. vulgo publice cantari in Gallia ſolet, ab Druidis manaſſe autumant, ex hoc forte Ouidii:*

Ad viſcum Druidae, Druidae clamare ſolebant.

Solitos enim aiunt Druidas per ſuos adoleſcentes viſcum ſuum cunctis mittere, eoque quaſi munere bonum, fauſtum, felicem et fortunatum omnibus annum precari.

Non omnino placet aliis haec interpretatio et coniectura, quod ſcilicet adoleſcentes a Druidis miſſi viſcum ferrent ad populum. Nihil enim erat viſco ſacratius; nec profanis tangere licuiſſet, quod tam ſolemni ritu decerpebatur a ſacerdotibus. Sed potius adoleſcentes reperto viſco mittebantur a Druidis ad populum, vt nuntiarent fauſtum annum, et ad ſacrificium inuitarent, his verbis: *Au guy* Pag. 14. *l'an neuf. Ad viſcum accedite; nouus annus eſt.* Et eam ob rem a populo mercedula aliqua donabantur. Procul dubio fluxit mos iſte nuntiandi et precandi *Aguilanneuf* fauſti ominis ergo, qui hodie etiamnum obſeruatur plus minusue in omnibus Galliae prouinciis.

Quod ad humanarum hoſtiarum ſacrificium attinet, in eo Graeci Romanique Druidas accuſant feritatis. Qua de re ſic CAESAR

 lib.

lib. VI. *Natio eſt omnis Gallorum dedita religionibus, atque ob eam cauſam, qui ſunt adfecti grauioribus morbis, quique in praeliis periculisque verſantur, aut pro victimis homines immolant; aut ſe immolaturos vouent; adminiſtrisque ad ea ſacrificia Druidibus vtuntur, quod pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque habent huius generis inſtituta ſacrificia. Alii immani magnitudine ſimulacra habent, quorum contexta viminibus membra viuis hominibus implent, quibus ſuccenſis circumuenti flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto, aut latrocinio, aut aliqua noxa ſint comprehenſi, gratiora Diis immortalibus eſſe arbitrantur; ſed quum eius generis copia deficit, etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt.*

Verum non ea ſolum maiorum noſtrorum conſuetudo fuit, ſed omnium paene gentium. Neſcio, annon Abrahamus et Iephte, qui, iubente Deo, prolem ſuam immolare iuſſi ſunt, huic conſuetudini originem dederint. Ammonitae tempore Moſis haec ſacra obſeruabant. Aegyptii viuos homines Typhoni ſuo comburere ſolebant: Carthaginienſes Saturno humanis hoſtiis litare: Latini Egeriae Nymphae: Albani Lunae: Graeci Dianae. Et quis neſcit Iphigeniae immolationem? Et quis tandem ignorat id, quod PLINIVS refert *lib.* XXX. *cap.* I. nempe *ſexcenteſimo, quinquageſimo ſeptimo demum anno V. C. M. Cornelio Lentulo, P. Licinio Craſſo Coſſ. ſenatusconſultum factum eſſe, ne homo immolaretur, palamque in tempus illud ſacra prodigioſa celebrata?*

Porro ſacrificium iſtud duplex erat, priuatum et publicum. Priuatum, quum quis grauiori aliquo morbo premebatur, aut in periculo imminenti verſabatur, hominem ad redimendam vitam ſuam immolari curabat per Druidas. Publicum, quum ciuitas aliqua, aut prouincia ſimiliter magno in diſcrimine conſtitutam ſe videbat, publice certo liberorum hominum, immo nobilium, ſi malefici, aut captiui deeſſent, numero contributo Deorum iram auertere conabatur. Et hoc eſt, quod ait CAESAR: *publice eius generis habent inſtituta ſacrificia.* Similiterque TACITVS de Germanis: *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hoſtiis litare, fas habent.*

Hominum immolatio.

Qui vero homines immolabantur, triplicis videntur fuiſſe generis, clientes, liberi et captiui atque malefici. Clientes quidem, quales erant *Ambacti*, quos, exiſtimant aliqui fuiſſe ſeruos mercenarios, dominis ſuis certo pretio vitam addicentes. *Ambacht* apud veteres

teres

teres Gallos miniſter erat, cuius vocabuli adhuc vſus eſt in Flandria. Vocant enim regionum, aut locorum praefectos praefecturasque ipſas *Ambacht*. Hinc procul dubio fluxit *Ambaſciada*, *Ambaſſade*, *Ambaſſadeurs*.

Quodſi nulli eiusmodi clientes eſſent, liberi ipſi pro patre morti ſe deuouebant; pro ciuitate vero, ſi nulli eſſent captiui, aut malefici, homines liberi et innocentes, ſaepiusque nobiles immolabantur. De captiuis quidem et maleficis ſic DIODORVS *lib.* VI. *Pari ſuae feritati impietate in Deorum ſacrificiis abutuntur. Noxios enim quinquennio ſeruatos ſudibus adfixos Diis ſacrificant, cumque aliis primitiis ſuper ingentes pyras immolant. Captiuos quoque ſacrificant Diis. Quidam de hoſtibus capta animalia vna cum hominibus interfecta aut in ſacris comburunt; aut aliis adficiunt poenis.*

Verum immania tandem illa ſacra abolita ſunt ab imperatoribus Romanis. Et primum quidem ab Auguſto, qui ciuibus Romanis Druidarum ſacris omnino interdixit, ſeu Romae, ſeu alibi; at Gallis et Druidis nullibi videtur interdixiſſe, ne in vrbe quidem. Tiberius Druidas, ipſorumque ſacra ex vrbe ſuſtulit. PLIN. *lib.* XXX. *cap.* I. *Tiberii Caeſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum, et hoc genus vatum medicorumque.* Claudius nec in Gallia quidem eſſe voluit, teſte SVETONIO in *Claud. cap.* XXV. Notat MELA, ſub Tiberio deſiiſſe humanas victimas immolare; admotis tamen ad aras ſanguinem emiſiſſe et libaſſe, ſic enim *lib.* III. *cap.* 2. *Manent veſtigia feritatis iam abolitae, atque vt ab humanis caedibus temperant, ita nihilominus, vbi deuotas altaribus admouere, delibant.*

CAPVT IV.

De legislatione et priuilegiis Druidarum. Pag. 15.

DVo Druidarum officia fuſiſſime deſcripſimus, nimirum docendi rationem, et ſacrorum procurationem. Nunc paucis de eorum iurisdictione et legislatione ac priuilegiis agendum. Certum eſt, eos in adminiſtratione politica Galliarum partem habuiſſe maximam: ſiquidem ait CAESAR, *eos praemia poenasque conſtituiſſe;* quae duo legislationis officium implent.

Habebant quoque iuris dicendi poteſtatem maximam, non modo in rebus ad religionem pertinentibus, ſed etiam in quibuscum-

Digitized by Google

que cauſis, tam publicis, quam priuatis; ita, vt iudicia quoque capitalia exercerent, iusque gladii haberent. Clare id CAESAR *lib.*VI. *De omnibus controuerſiis publicis priuatisque conſtituunt, et ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi caedes facta, ſi de hereditate, de finibus controuerſia eſt, iidem et decernunt praemia poenasque conſtituunt.* Hinc, vt ex STRABONE notat FORCATVLVS, Galli Tectoſages, et alii, qui in Aſiam migrarunt, conſilium trecentorum iudicum compoſuerunt, quod a quercu et ſanguine *Drynemetum* appellarunt, quoniam eo imperio praediti, quod iureconſulti *merum* vocant, de rebus capitalibus iudicabant; de ceteris magiſtratus inferiores.

Certo autem anni tempore in ſiluae Carnotenſis luco conſecrato iudiciis exercendis comitia habebant generalia, vt notat CAESAR loco citato: *Ii certo anni tempore in finibus Carnutorum, quae regio totius Galliae media habetur, conſidunt in luco conſecrato. Huc omnes vndique, qui controuerſias habent, conueniunt, eorum iudiciis decretisque parent.* At ſemelne tantum in anno, an pluries? THEODORVS MARCILIVS exiſtimat, id facere ſolitos Druidas ſextis quibusque lunis menſium; atque idcirco ſingulis menſibus ſtata die iudicia illa generalia exercuiſſe.

Poena vero, quam contumacibus et parere detrectantibus infligebant, erat grauiſſima, cuiuscumque generis, ſortis, aut conditionis eſſent. Nimirum exſecratio, et vt more noſtro atque recepto loquamur, *excommunicatio. Si quis autem*, inquit CAESAR, *aut priuatus, aut publicus, eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur: ab iis omnes decedunt, aditum eorum ſermonemque refugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant. Neque iis petentibus ius redditur; neque honor vllus communicatur.* Hinc intelligimus, quanta Druidum eſſet auctoritas et poteſtas, tanta ſcilicet, vt magiſtratus ac regulos ipſos dicto audientes haberent; ſecus, ſacris arcerent. Quod genus exſecrationis ſeu excommunicationis in vſu fuit apud omnes fere gentes.

Quae vero erant Druidarum priuilegia: haec duo praecipue, immunitas ab armis, et immunitas a tributis. Erant enim a ferendis armis immunes, et ſi bellis aderant, auſpiciorum tantum gratia aduocabantur, vacationemque ab omni onere militari habebant. Praeterea nullum, qualecumque eſſet tributum, pendere tenebantur.

tur. Quibus praemiis adducti et adlecti complures in eorum ſocietatem et ſodalitium adſciſci cupiebant. Nam plebs tributorum onere, ſeruorum ad inſtar, premebatur: nobilitas aſſiduo bellorum labore et ſumtibus fatigabatur: illi ſoli eorumque diſcipuli ab vtroque onere immunes erant. Hac de re CAESAR *lib.* VI. *Druides a bello abeſſe conſueuerunt; neque tributa vna cum reliquis pendunt. Militiae vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati praemiis et ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, et a propinquis parentibusque mittuntur.*

EX

AEGIDII BVCHERII
BELGIO ROMANO

(edit. Leodii 1655. fol.)

LIB. V. CAPVT III.

Veterum Belgarum Gallorumue ſacerdotes et ſacrificuli. DRVIDAE praeſertim.

§. I.

Apud Gallos Belgasque noſtros non minus quam apud Romanos, Flamines, Auguresque fuiſſe, plures inſcriptiones hiſtoriaeque teſtantur. Quia tamen iis omnia cum aliarum gentium Flaminibus Auguribusque communia fuere, nihil de illis dicam. Terna dumtaxat ſacerdotum genera Gallis particularia hic exſequi conſilium eſt. Ea STRABO primum ſic recenſet *lib.* IV. *Apud Gallos*, inquit, *vniuerſos tria fere ſunt hominum genera, quae in ſingulari habentur honore; Bardi*, Οὐάτεις, *Vates, et Druidae.* Idem paene AMMIANVS *lib.* XV. *Per haec loca, hominibus paullatim excultis, viguere ſtudia laudabilium doctrinarum, incboata per Bardos, et Eubages, et Druidas.* Quos Οὐάτεις STRABO, AMMIANVS *Eubages* ecce vocat: in reliquis conſentiunt. CAESAR Druidum dumtaxat meminit. Pag. 156.

§. II.

Bardi (ſubdit STRABO) *hymnos canunt, poetaeque ſunt.* AMMIANVS: *Bardi fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyrae modulis cantitarunt.* LVCANVS *lib.* I.

Vos quoque qui fortes animas belloque peremtas
Laudibus in longum, Vates, dimittis aeuum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Ante hos omnes DIODORVS *lib.* VI. *Sunt apud Gallos melodiarum poetae, quos appellant Bardos. Hi ad organa, lyris non diſſimilia, hos laudant, alios vituperant.* Quin et FESTVS POMPEIVS, grammaticus, *Bardum* Gallice *cantorem* ſignificare auctor eſt. Hinc quod TACITVS ſcribit, *carmina antiqua vnum apud Germanos memoriae et annalium genus fuiſſe,* de omni Celtica gente capiendum eſt. Ita magnae prorſus auctoritatis Bardos exſtitiſſe neceſſum eſt, a quibus vnis aliorum omnium laus aut vituperium, adeoque memoria penderet. Nihilque mirum, ſi Carolum M. Francorum regem EGINHARDVS in eius vita ſcribit, *barbara et antiquiſſima carmina, quibus ceterum regum actus et bella canebantur, ſcripſiſſe memoriaeque mandaſſe.* In S. Ludgeri vita, qui Caroli quoque M. temporibus claruit, legimus ab eo caecum quemdam *Berleeſt*, qui antiquorum actus, regumque certamina non inurbane cantabat, illuminatum. Nominis Bardorum viget etiamnum apud Wallos ſeu priſcos Britannos memoria; qui fidicines, citharoedos et cantores ſuos, immo etiam eos, qui texendis genealogiis operam nauant, *Bardes*, teſte CAMBDENO, vocant, *Britann.cap.*I. Quin apud Gallorum noſtrorum quosdam antiquitatis ſcrutatores, vox *Rebarder* intercalarem verſum ſignificare ſcribit FAVCHETIVS *lib.* I. *cap.*VIII. *de lingua Gallica.* Hoſce Bardos ſacerdotibus adſcriptos vel ideo exiſtimo, quod Diis quoque hymnos canerent, oracula veluti Sybillae carminibus ederent, et in ſacrificiis conuiuiisque ſollemnibus, homines ad Deorum heroumque amorem certis quibusdam modulis accenderent. Certe DIODORVS *n elicis* hiſce *poetis*, ita Gallos *auſcultaſſe dicit, vt non amici modo, ſed et hoſtes inter aduerſas ſaepe acies, dum ſtrictis gladiis et protentis haſtis inter ſe propinquarent, horum quaſi incantamentis cicurati, praelio abſtinerent: adeo* (ſubdit) *quod agreſtiores barbaros ira ſapientiae ceſſit, Marsque Muſas reueritus eſt.*

§. III.

§. III.

Ordinis paullo altioris fuiſſe videntur *Vates*, *ſacrorum*, vt ait STRABO, *curatores, et phyſiologi*, qui rerum naturam explicant. Quos hic STRABO Οὐάτεις ſeu vates Latino vocabulo appellare videtur, DIODORVS Graeco Μάντεις ſeu diuinatores vocat. *Χρῶνται δὲ καὶ Μάντεσιν, vtuntur quoque Galli diuinatoribus, qui apud eos magnae ſunt auctoritatis. Hi ab auſpiciis et victimarum extis futura praedicunt, omnemque plebem dicto audientem habent. Quum vero de rebus magnis conſulunt, miram incredibilemque ſeruant conſuetudinem. Iugulant enim enſe hominem; quo cadente, tum ex caſu, tum ex membrorum laceratione, tum etiam ex ſanguinis effluxu, ex quadam antiqua rerum obſeruatione, norunt futura.* Ex quibus intelligimus, homines hos fuiſſe naturalium rerum ſcientiſſimos; ac proinde augurandi peritos, de caerimoniis ordinaſſe, ſacrificiis adſtitiſſe, ex victimarum extis futura praenuntiaſſe; nec minoris apud ſuos habitos, quam Romae Augures, quorum locum vacantem ciuium primates ambiebant. Vnde IVSTINVS *lib.* XXIV. *Augurandi ſtudio Galli praeter ceteros valent.* Hos AMMIANVS *Eubages* appellat: *Eubages*, ait, *ſcrutantes ſumma et ſublimia naturae pandere conabantur.* Vbi CLVVERIVS, non *Eubages*, ſed *Vates* legi vult, *lib.* VII. *Germ. ant. cap.* XXIV. Verum ego tam *Vates* quam *Eubages* Gallorum priſcorum voces exiſtimo, ſiue a Teutonicis *Wach*, *Wacht*, *Wachters*, ſiue alia origine, nobis incomperta.

§. IV.

Super hos omnes eminebant maxime, velut omnium rectores *DRVIDAE*; prorſus vt aliis omiſſis, horum dumtaxat meminerit CAESAR; quos et a Graecis Semnotheos ſiue Samotheos, et Saronidas appellatos video. DIOGENES LAERTIVS: *Philoſophiam a barbaris initium ſumſiſſe, plerique autumant. Nam Perſis, Babyloniis* Pag. 157.
et Aſſyriis Chaldaeos; Indis Gymnoſophiſtas; Celtis ſeu Germanis et Gallis Druydas, qui et Semnothei appellabantur, eius rei fuiſſe auctores, ait Ariſtoteles in magico, et Sotion in XXIII. ſucceſſionis libro. Similiter DIODORVS: *Philoſophi*, ait, *ac theologi, quos Saronidas vocant, praecipue ab iis coluntur.* Mox de eorum functionibus: *Eſt apud eos moris, nullum abſque philoſopho ſacrificium facere. Per hos enim vt diuinae naturae conſcios, et quaſi colloquu-*

loquutores, gratiarum ſacrificia Diis offerenda, per hos internuncios bona ab iis expetenda cenſent. Nec in pacis ſolum negotiis, ſed etiam in bellis, his maxime ſicut et melicis poetis auſcultant, non modo amici ſed et hoſtes. Hi inter aduerſas ſaepe acies, dum ſtrictis gladiis et protentis haſtis inter ſe exercitus propinquant, in medium progreſſi, ac ſi feras incantamentis cicurarent, praelia dirimunt. Iſta de Saronidis Gallorum philoſophis DIODORVS; quae omnia in Druidas aeque cadere legimus. MELA *lib.* I. *cap.* II. *Habent Galli facundiam ſuam, magiſtrosque ſapientiae Druidas.* Iuxta PLVTARCHVM enim *ſapientia eſt rerum diuinarum humanarumque ſcientia.* Iidem ergo ſunt Semnothei, Saronidae et Druidae.

§. V.

Ceterum quum plurima de Druidibus congerant ſcriptores, diſtinctionis gratia, omnia ad tria capita reuocabo. Primum erit eorum auctoritas, exiſtimatio, ciuilesque functiones. Alterum ſtudia quaedam particularia. Tertium theologia et ſacrificia. Scio auctores nonnullos ea, quae Druidibus hic conuenire dicemus, etiam Vatibus ſeu Vactibus et Bardis attribuere, et contra: ſed id ab iis fit, aut quia iſtas tres ſacerdotum claſſes non agnoſcunt; aut quia quae duobus prioribus ſigillatim conueniunt, in Druidas vniuerſa refunduntur.

§. VI.

Druidarum auctoritatem his verbis exprimit STRABO: *Druidae praeter naturalium ſcientiam, etiam de moribus diſputant. De horum iuſtitia ſumma eſt omnium opinio: itaque et priuata iis et publica iudicia committuntur; adeo vt etiam bella, iam aciebus congreſſuris, componant. His maxime iudicia quoque de caedibus committuntur; quumque harum maxima eſt copia, agrorum quoque fertilitatem conſequi putant.* Fuſius CAESAR commentario *VI. Fere de omnibus controuerſiis publicis priuatisque conſtituunt, et ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi caedes facta, ſi de hereditate, de finibus controuerſia eſt, iidem diſcernunt praemia, poenasque conſtituunt.* Paullo poſt: *Druides a bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa vna cum reliquis pendunt; militiae vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati praemiis, et ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, et a propinquis parentibusque mittuntur.* Et paullo ſupra: *Druidibus praeeſt vnus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit;*

aut

aut ſi ſunt pares plures, ſuffragio Druidum adlegitur; nonnumquam etiam de principatu armis contendunt. Certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, conſidunt, in luco conſecrato. Huc omnes vndique qui controuerſias habent, conueniunt; eorumque iudiciis, decretisque parent. Equidem ſi quae vulgaribus noſtris annalibus fides eſt, Bauaci Neruiorum quempiam e Druidum principibus reſediſſe crederemus, qui ius ſaltem ſubalternum hiſce regionibus dixerit.

§. VII.

Quod ad eruditionem eorumdem pertinet, ac ſtudia, per ſodalitia in iis exercuiſſe ſe videntur. AMMIANVS enim, *lib.* XV. *fin. Druidae*, inquit, *ingeniis celſiores, vt auctoritas Pythagorae decreuit, ſodalitiis adſtricti conſortiis, quaeſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt.* Enucleatius CAESAR: *De ſideribus, atque eorum motu, de mundi atque terrarum magnitudine, de rerum natura, Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant et iuuentuti tradunt.* Quod autem paullo ante dicit: *In reliquis fere rebus*, (extra religionem ſcilicet) *publicis priuatisque rationibus, Graecis litteris vtuntur;* videtur eorum opinionem firmare, qui Druidas Graecorum lingua doctrinaque imbutos volunt. Quippe licet CAESAR hic nonniſi characteras apicesque Graecos acciperet, quis tamen crederet tanta ſcientia viros, ſola characterum effigie contentos, nullum linguae tam diuitis hauriendae impetum cepiſſe, qua tot ſcientiae, quas illi quoque ipſi profiterentur, conſignatae eſſent? De eorumdem ſtudiis ita quoque reliquis antiquior CICERO *lib.* I. *de diuin. In Gallia Druides naturae rationem, quam phyſiologiam Graeci appellant, notam eſſe ſibi profitebantur: et partim auguriis, partim coniectura, quae eſſent futura, dicebant.* Eadem totidem fere verbis STRABO et MELA. Addit tamen ille, *immortalem mundum eſſe aſſerunt, ignem et aquam aliquando ſuperatura. Rurſum: etiam de moribus diſputant.* Quo pertinet illud DIOGENIS LAERTII: *Nihil mali faciendum docent; et exercendam fortitudinem.* Sane hanc animi fortitudinem non docuiſſe tantum, ſed et exercuiſſe quam maxime, teſtatur TACITVS *annali* XIV. quum in Suetonii Paullini contra Britannos in Mona inſula praelio, *Druidae*, inquit, *circum, preces diras ſublatis ad caelum manibus fundentes, nouitate adſpectus percutere militem, vt quaſi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent.*

§. VIII.

Quin et medicinam magiamue naturalem, multis tamen ſuperſtitionibus implicatam tractaſſe, docet PLINIVS *lib.* XVI. *cap. vlt.* quum de viſco roboris loquens, ita ſcribit: *Fecunditatem eo poto dari cuicumque animali ſterili arbitrantur, contraque venena omnia eſſe remedio.* Et *lib.* XXIV. *cap.* XI. *Similis herbae huic ſabinae eſt ſelago appellata. Legitur ſine ferro, dextra manu, per tunicam, qua ſiniſtra exuitur, velut a furante, candida veſte veſtito, pureque lotis nudis pedibus, ſacro facto, priusquam legatur, pane vinoque. Fertur in mappa noua. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidae Gallorum, et contra omnia oculorum vitia fumum eius prodeſſe. Iidem ſamolum herbam nominauere naſcentem in humidis; et hanc ſiniſtra manu legi a ieiunis, contra morbos ſuum boumque, nec reſpicere legentem, nec alibi, quam in canali deponere, ibique conterere poturis.* Et iterum *lib.* XXXIX. *cap.* XXX. *fin. Praeterea eſt ouorum genus in magna Galliarum fama, omiſſum Graecis. Angues innumeri, aeſtate conuoluti, ſalinis faucium corporumque ſpumis, artifici complexu glomerantur. Anguinum appellatur. Druidae ſibilis id dicunt in ſublime iactari, ſagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem equo; ſerpentes enim inſequi, donec arceantur amnis alicuius interuentu. Experimentum eius eſſe, ſi contra aquas fluitet, vel auro vinctum. Atque vt eſt magorum ſollertia occultandis fraudibus ſagax, certa luna capiendum cenſent, tamquam congruere operationem eam ſerpentium, humani ſit arbitrii. Vidi equidem id ouum, mali orbiculati modici magnitudine, cruſta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, inſigne Druidis. Ad victorias litium, ac regum aditus mire laudatur; tantae vanitatis, vt habentem id in lite in ſinu equitem Romanum e Vocontiis, a D. Claudio principe interemtum*
Pag. 158. *non ob aliud ſciam. Hic tamen complexus anguium et efferatorum concordia, cauſa videtur eſſe, qua re exterae gentes caduceum, in pacis argumentis, circumdata effigie anguium fecerint; neque enim criſtatos eſſe in caduceo mos eſt.* Ita PLINIVS, quodam modo caducei ſerpentibus inuoluti inuentionem Druidibus attribuens; licet, quopiam Romanorum praeiudicio, philoſophiam illorum ad magicas quasdam caerimonias et ſuperſtitiones reuocet. Vnde et *libro* XXX. *cap.* I. et *lib.* XVI. *cap. vlt.* iſta illos inurit parentheſi, (*ita ſuos appellant Magos*) additque *Tiberium Druidas aboleuiſſe, et hoc genus vatum medicorumque.* Niſi forte nomine Druidum Vates ſeu Vactes intelligat, quos auguriis caerimoniisque ſollemnibus addictos ſupra vidimus: ſi tamen eos nouerit.

§. IX.

§. IX.

Nobiliſſimum ſtudii genus Druidibus fuit, diuinorum contemplatio, et celebris illa de animae, quae diuinae eſt particula aurae, immortalitate quaeſtio. Sane animam eos immortalem ſtatuiſſe, vnanimis eſt auctorum conſenſus, cuius etiam a morte ſtatum et in noua corpora tranſmigrationem agnouerint. Ex quo ceu ſtabili fundamento in ſublimiora theologiae naturalis abdita, nec procul a chriſtiana religione de corporum reſurrectione diducta penetraſſe, veriſimile ſit; tanta eſt vtriuſque doctrinae permixtio. Quare DIODORVS eos *diuinae naturae conſcios* appellat; et LVCANVS Deorum cognitionem ita illis propriam adſcribit, vt canat:

Solis noſſe Deos, aut caeli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum.

Et CAESAR: *Multa de Deorum immortalium vi ac praeſentia diſputant, et iuuentuti transdunt.* Prorſus vt me quidem coniectura vehementior inceſſat, diuini verbi ſemen a primis Gallorum et Belgarum apoſtolis in terram adeo diſpoſitam iactum, ſtatim radicem egiſſe, et ortum feciſſe fructum centuplum. Sane ORIGENES *lib.* IV. *in Ezech. Britannos*, ait, *in fidem conſenſiſſe, et ad Deum per Druidas viam ſibi muniuiſſe, qui vnum Deum ſemper inculcarunt.* Ego quidem in hac materia lubens ſenſus eorum intimos indagarem, ſi quaedam priori capite non attigiſſem, aut ſecreto eorum non inhiberer, quod hic mirum fuiſſe, ſcriptorum omnium conſenſus eſt. LAERTIVS *Gymnoſophiſtas*, ſcribit, *et Druidas obſcure et per ambages philoſophari, colendos Deos*, cet. Similiter CAESAR notat eos, *qui in Druidum diſciplinam conueniunt, magnum ibi numerum verſuum addiſcere, itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent: neque fas eſſe exiſtimant, ea litteris mandare; duabus de cauſis; quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint; neque eos qui diſcunt, litteris confiſos minus memoriae ſtudere; quod fere plerisque accidit, vt praeſidio litterarum diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remittant. In primis hoc volunt perſuadere: non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios; atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.* Nec aliter MELA: *Docent multa nobiliſſimos gentis clam et diu, vicenis annis in ſpecu, aut in abditis ſaltibus. Vnum ex iis quae praecipiunt, in vulgus effluit, videlicet vt forent ad bella meliores, aeternas eſſe animas.* Verbis iſtis: *vnum*

in vulgus effluit : clare plura alia theologiae eorum arcana ſignificantur, magno ſecreto, et nudae memoriae tradita, ne profana euaderent, aut communicatione promiſcua eorum vileſceret auctoritas. Tam acre, diuturnum, occultumque ſtudium acuebat inſuper accurate quaeſita pertinaciusque ſeruata ſolitudo, *aut in ſpecu, aut in abditis ſaltibus.* Vnde LVCANVS Druidas alloquens:

Nemora alta remotis
Incolitis lucis.

Vt plane fabula non ſit, quod de Druidum in Ybriacenſi ſilua palatio, aut de celebri Carnutenſis baſilicae crypta etiamnum occinit Gallica traditio.

§. X.

Ex his tam reconditis, tam diu, tanta ſolitudine, tantaque meditatione tradi ſolitis Druidum noſtrorum arcanis myſteriisue, licet vnum tantum de animarum immortalitate in vulgus effluxerit; quis tamen plura alia, eaque altiora ſubfuiſſe negauerit? Quid obſtat, quo minus vnius ſaltem Dei cognitionem Druidibus relinquamus: aliis autem nominibus, non alios Deos, ſed diuerſa Dei dumtaxat attributa, beneficiaque mortalibus indulgeri ſolita, eos intellexiſſe dicamus? Intellexiſſe videtur SENECA, quum ſcribit: *Tot appellationes Dei eſſe poſſunt, quot munera; de benef. lib.* III. *cap.* VII. Et PLINIVS: *Fragilis et laborioſa mortalitas in partes iſta digeſſit, infirmitatis ſuae memor; vt portionibus coleret quisque, quo maxime indigeret; lib.* II. *cap.* VII. Ita *Teutatem* ſupremum Deum ſuum Druides, modo *Taranim* appellauerint, a ſingulari potentiae iuſtitiaeque vindicatiuae ſigno tonitru, iuxta illud, *vox Domini in magnificentia, vox Domini in virtute:* modo *Heſum* ſiue Martem, quaſi *Deum Sabaoth et exercituum, qui armis transferat regna atque conſtituat, dominetur in regno hominum, et, cuicumque voluerit, det illud:* modo *Belenum,* ſiue Apollinem ſolemue, qui hominum vitam mortemque diſpenſet, tum varia non ad neceſſitatem tantum, ſed et ad voluptatem abundantiamque profundat: modo *Mineruam,* quaſi ſcientiarum omnium, conſiliorum, prudentiae et luminis ingentis infuſorem. Prorſus vt LVCANVS de Druidibus, adeo Dei notitia illuſtribus aptiſſime cecinerit.

Solis noſſe Deos et caeli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum.

Neque

Neque vero hic inter iſta Druidum myſteria illud omittendum, tota etiamnum Gallia decantatum, in celebri illa baſilicae Carnutenſis crypta ſpecuue aram vnam eos virgini ſacram habuiſſe, quae Deum aliquando genitura eſſet; qua quidem in re Graecos et Sybillas ſi non ſuperarint, certe aequauerint.

§. XI.

Porro quod ad templa ſimulacraue Diis ab Druidibus dari ſolita attinet, CAESAR, *immani magnitudine ſimulacra eos habuiſſe;* ſpeciatimque *Dei Mercurii* (ſeu Teutatis, vt toties dixi) *plurima* fuiſſe ſubdit; *lib.* VI. Templorum autem etiam meminit AVSONIVS, quum familiae vnius antiquitatem e *Beleni templo* deducit:

Beleni ſacratum ducis e templo genus;

alterius Phebicium quempiam Beleni aedituum appellat. Qua quidem in re a Germanorum more receſſerint, de quibus ita TACITVS: *Nec cohibere parietibus Deos, neque in vllam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine caeleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant; Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reuerentia vident.* Atque ex his videmus quales fuerint Druidae, quam ſibi ſuisque viam ad vnum ſolum Deum agnoſcendum muniuerint, vt ex ORIGENE *libro* IV. *in Ezechielem* ſuperius audiuimus.

CAPVT IV.

Belgarum Gallorumque ſacrificia cruenta et horrenda: An a Tiberio Claudioque imperatoribus ſublata? Vnde orti dictique DRVIDAE? Pag. 159.

§. I.

Druidas lucis, ſaltibus, denſisque nemoribus addictos iam vidimus. In iis prae ceteris arboribus quercum ſeu robur veneratos, et eius viſco, neſcio quod, ſacrificium peregiſſe, docere videtur PLINIVS *lib.* XLVI. *cap. vlt. Nihil,* inquit, *habent Druidae (ita Galli appellant ſuos Magos) viſco et arbore, in qua gignatur, ſi modo ſit robur, ſacratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos; nec vlla ſacra ſine ea fronde faciunt: vt inde quoque interpretatione Graeca videri poſſint appellari DRVIDAE:* ſcilicet, quia quercus roburue Δρῦς Graece dicitur, de quo paullo

 poſt.

poſt. *Enimuero* (pergit) *quidquid adnaſcatur illis, e caelo miſſum putant, ſignumque eſſe electae a Deo arboris. Eſt autem id admodum rarum inuentu; et repertum magna religione petitur: et ante omnia ſexta luna, quae principia menſium annorumque bis facit, et ſaeculi poſt triceſimum annum, quia virium iam abunde habeat, nec eſt ſui dimidia. Omnia ſanantem appellantes ſuo vocabulo: ſacrificio epulisque ſub arbore praeparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce aurea demetit; candido id excipitur ſago. Tunc demum victimas immolant, precantes vt ſuum donum Deus proſperum faciat, his quibus dederit.* Viſcum igitur vt caelo miſſum venerabantur; et Deo, a quo accepiſſe ſe credebant, caeſis victimis iterum velut in gratiarum actionem offerebant. Vnde OVIDIVS:

Ad viſcum Druidae, Druidae clamare ſolebant.

Innocens igitur erat hoc ſacrificium; et nonniſi beſtiarum taurorumque caede, ſed licita, et a Dei quoque populo vſurpata, cruentum. Vitam enim quum ſe Deo debere pii mortales agnoſcerent, cuius tamen ipſi domini non eſſent, eam pecudum ſibi ſubiectarum vita redimebant, et auctori, a quo hauſerant, quodammodo refundebant. At hoſtiarum humanarum immolatio nulli non genti paullo ciuiliori barbara viſa.

§. II.

Ea tamen Gallos Belgasque noſtros non abſtinuiſſe, ſcriptorum variorum vna vox eſt. CAESAR *comm.* VI. *Natio eſt omnis Gallorum admodum dedita religionibus. Atque ob eam cauſam qui ſunt affecti grauioribus morbis, quique in praeliis periculisque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturus vouent. Adminiſtrisque ad ea ſacrificia Druidibus vtuntur; quod pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe aliter Deorum immortalium numen placari, arbitrantur: publiceque eiusdem generis habent inſtituta ſacrificia. Alii immani magnitudine ſimulacra habent, quorum contexta viminibus membra binis hominibus complent, quibus ſuccenſis circumuenti flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio, aut aliqua noxa ſunt comprehenſi, gratiora Diis immortalibus eſſe arbitrantur. Sed quum eius generis copia deficit, etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt.* Addit STRABO *lib.* IV. *Sed et alia feruntur hominum immolationis genera; alios namque ſagittis configebant, alios in crucem agebant in ſacris: ac foeni coloſſo exſtructo,*

exſtructo, omnis generis beſtias, et homines concremabant. Neſcio an Sicambri, Vſipetae, et Tenchteri Romanos illos, quos in ſuo ſolo deprehenſos, in crucem egiſſe ſupra ex DIONE vidimus, hoc ritu Diis ſuis immolarint. Ad haec certe ſacrificia referri debent, quae ex DIODORO ſupra diximus; quum Vates homine caeſo prolapſoque, e caſu et conuulſione membrorum, ſanguinisque fluxu de futuro praeſagirent. De omnibus ita canit LVCANVS *lib.* I.

Et vos barbaricos ritus moremque ſiniſtrum
Sacrorum, Druidae poſitis repetiſtis ab armis.

Et paullo infra:

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrensque ſacris altaribus Heſus,
Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae.

Teutati ecce, *Heſo*, *et Tarani* cruentam eam hominum immolationem attribuit; addo ego et *Beleno*, qui ſanitati praeſidebat. CAESAR enim, *afflicti*, ait, *grauioribus morbis pro victimis homines immolabant*, cet.

§. III.

Fuit Belgarum Gallorum ritus iſte, fateor, immanis. Sed omnium paene gentium aliarum ritu nonnihil mollitus et veniabilior. Quippe vt DIONYSIVS HALICARNASSEVS *lib.* I. *Celtae*, ait, *ad haec vſque tempora* (ſub Auguſto ſcilicet, quo ille ſcribebat) *et occidentaliores fere omnes homicidio ſacrificant.* Immo et orientalium omnium eumdem morem fuiſſe, puta Indorum, Perſarum, Aegyptiorum, Africanorum, ſpeciatimque Carthaginienſium, Scytharum, Graecorum, adeoque etiam Romanorum, ex probatis auctoribus fuſe oſtendit CLVVERIVS *lib.* IV. *cap.* XXXV. Ac licet PLINIVS *lib.* XXX *cap.* I. anno V. C. DCLVII. *ſenatusconſultum factum ſcribit, ne homo immolaretur;* tamen id adhuc ab Aureliano imperatore factum ex VOPISCO in *eius vita* diſcimus, quum *capitolium illum inuectum* refert, *vt illic caederet ſeruos, quos captos vouiſſe Ioui opt. max. ferebatur.* Et LACTANTIVS *lib.* I. *cap.* XXI. ſub Conſtantino iam Chriſtiano ſcribens: *Latialis*, ait, *Iupiter etiam nunc ſanguine colitur humano.* Ac ne quid de Americanis anthropophagis etiam hodiernis dicam, quis eumdem ritum a populo

Digitized by Google

populo quoque Dei, Iudaeis inquam, vſurpatum non miretur? *Regum* IV. *cap.* XXIII. *v.* 10. *Contaminauit quoque Ioſias Topheth, quod eſt in conualle filii Ennon; vt nemo conſecraret filium ſuum aut filiam per ignem Moloch; idolo ſcilicet Ammonitarum.* Idem exprobrat IEREMIAS *cap.* VII. *v.* 31. et *cap.* XIX. *v.* 5. aliique alibi ſaepius. Quod quidem vnde manare, adeoque valeſcere, potuerit, dum mecum inquiro, duas maxime cauſas reperio, ab inſano cacodaemonis in homines liuore, et in Deum zelotypia profectas. Primum enim ille quum Iſaaci immolationem, a patre Abrahamo tentatam paeneque peractam, tantopere Deo placuiſſe, tantae hominibus admirationi fuiſſe videret, beſtiarum ſacrificium nimis vile perſuaſit, mortalesque ita efferauit, vt hominem optimam et gratiſſimam Deo victimam crederent; vt ait MELA. Tum vero, quum filium hominis Chriſtum pro mundi expiatione propitiationem et acceptabile ſacrificium aliquando futurum, eiusque tantae rei auram aliquam hominibus iam olim affuſam non neſciret, verſo in immanem barbariem tanto caeli beneficio, Deum quoque nonniſi hominum cruore, pro peccatis fuſo, placari poſſe, per ſuos docuit perſuaſitque. Hinc ille *Romanorum* ritus, quo pontificem ſuum maximum prima eius conſecratione, victimae cuiuspiam ſanguine, teſte PRVDENTIO, reſpergere ſolebant; argumento ſcilicet a maioribus accepto, venturum aliquando pontificem ſummum, qui ſanguine ſuo mortales Deo reconciliaturus eſſet.

Pag. 160.

§. IV.

Ceterum hoſtias haſce humanas Druidae non ipſi immolabant; ſed Vatum et inferiorum ſacerdotum opera vſi, iis dumtaxat ceu directores aſſiſtebant, vt ſupra tetigi. Vnde CAESAR ſupra: *Druidae rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica atque priuata procurant, religiones interpretantur.* Et STRABO *lib.* IV. *Immolabant Galli non ſine Druidis.* Similiter DIODORVS: *Eſt apud Gallos moris, nullum abſque philoſopho Druide ſacrificium facere.* Hinc quoque ſibi inobedientes a ſacrificiis iſtis ac precibus arcere quodam velut interdicto poterant, et quaſi reliquorum communione priuare. *Si quis enim,* ait ibidem CAESAR, *priuatus aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum et ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum ſermonemque defugiunt,*

giunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus ius redditur, neque bonos vllus communicatur.

§. V.

Sed quaeſtio eſſe poteſt, an tantam Gallorum Druidarumque immanitatem Romani, poſtquam eos ſub iugum ſuum miſere, non ſuſtulerint? Ita quidem innuere videntur ſcriptorum plerique. SVETONIVS *Claudio cap.* XXV. *Druidarum*, ait, *religionem apud Gallos dirae immanitatis, et tantum ciuibus ſub Auguſto interdictam, penitus aboleuit.* Iuxta SVETONIVM ergo, primus Claudius imperator *penitus aboleuerit.* At PLINIVS *lib.* XXX. *cap.* I. Tiberio Caeſari tribuit: *Sexcenteſimo*, inquit, *LVII. demum anno vrbis Cn. Lentulo, P. Licinio Craſſo Coſſ. ſenatusconſultum factum eſt, ne homo immolaretur, palamque in tempus ſiluit ſacri prodigioſi celebratio. Gallias vtique poſſedit, et quidem ad noſtram memoriam. Namque Tiberii Caeſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum, et hoc genus vatum medicorumque.* BEROALDVS in ſuperiorem TRANQVILLI locum, PLINIVM ita cum SVETONIO conciliat, vt Claudius idem huic ſit qui PLINIO Tiberius. Nam poſterior Tiberius Claudius Druſius dicebatur. Sed reclamat STRABO *lib.* IV. *fin.* qui ante Claudium, ſub annum Tiberii Neronis XII. ſcribens, ita loquitur: *Romani ab his eos abduxerunt, et a ſacrificiorum ac diuinandi ritibus, qui noſtris repugnabant: hominis enim ſacris deuoti tergum gladio ferientes, ex eius palpitatione ariolabantur.* Ex STRABONIS igitur ſententia, Druidarum ſacrificia Tiberius, etiam ante Claudium ex fratre nepotem, ſuſtulerit. Suſtulerit, inquam, ſeu omnibus interdixerit; nam vt ante ex TRANQVILLO audiuimus, ipſe Auguſtus adhuc ante illum *ciuibus* ſaltem Romanis interdixerat.

§. VI.

Contra tamen ſub Nerone et Veſpaſiano poſt Claudium Druidas adhuc viguiſſe, praeter PLINIVM ipſum, qui de Druidibus ſemper vt adhuc ſtantibus loquitur, TACITVS quoque *annali* XIV. in celebri illo Suetonii Paullini contra Britannos in Mona inſula praelio, *Druidae circum*, inquit, *preces diras ſublatis ad caelum manibus fundebant.* Rurſum *hiſt.* IV. ſub Veſpaſiani primordia, quum Galli *inſtigatore Ciuili rebellionem coeptarent, poſſeſſionem rerum humanarum tranſalpinis*

Z *genti-*

gentibus portendi, ſuperſtitione vana Druidae canebant. Ita ille: qui tamen Druidas ipſos dumtaxat, non etiam eorum humana ſacrificia viguiſſe ſcribit; quae ſola ciuibus quidem Auguſtum, ceteris etiam Tiberium Claudiumque interdixiſſe, penitusque ſuſtuliſſe, intelligunt STRABO, PLINIVS atque SVETONIVS; ſaluis ſemper Druidibus, et aliis eorumdem minime humanis ſacrificiis, vaticinationibus, diſciplinis et inſtitutis. Enimuero quantumuis ea iſta tam immania ſacra abolenda principes edixerint; non aeque tamen apud aſſuetas illis gentes obtinuerint. Nam longe poſt illos TERTVLLIANVS in *apologetico: Maior aetas*, ait, *apud Gallos Mercurio proſecatur.* Ne apud Romanos quidem ſenatusconſultum anni V. C. DCLVII. obſtitit, quo minus Latialis Iupiter ſanguine coleretur humano, aut Aurelianus imperator ſeruos Ioui Capitolino immolaret, vt ſupra dixi. Et potuit ea Gallorum immanitas ſi non palam, certe in occulto perſeueraſſe. Potuit item aliqua ſaltem tam inoliti ritus imagine, etiam publice repraeſentari. Idque ni fallor, innuit ſub Claudio ipſo ſcribens MELA, de Gallis ita loquens: *Gentes ſuperbae, ſuperſtitioſae, aliquando etiam immanes, adeo vt hominem optimam et gratiſſimam Diis victimam crederent. Manent veſtigia feritatis iam abolitae. Atque vt ab vltimis caedibus* (hominum ſcilicet) *temperant, ita nihilominus vbi deuotos altaribus admouere, delibant.* (quidpiam ſcilicet humani ſanguinis extrahunt, et Diis ſuis libant offeruntque, aliquo adhuc immanitatis abolitae veſtigio.) *Habent tamen et facundiam ſuam, magiſtroſque ſapientiae Druidas.* Quaſi dicat: Etſi immanis hominum victima penitus ſublata ſit, exili tantum eius manente veſtigio, manent tamen adhuc Druidae, ſapientiam de more docent, reliquaque ſeruant inſtituta.

§. VII.

Atque ex his omnibus ſatis conſtat, Druidas Gallorum proprios fuiſſe ſacerdotes, et eorumdem immania ſacrificia maxime in Galliis vſurpata. Quomodo ergo vnus in ceteris CAESAR *lib.* VI. ſcribere audet? *Diſciplina* Druidum *in Britannia reperta, et inde in Gallias translata eſſe exiſtimatur. Et nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illo diſcendi cauſa proficiſcuntur.* Nimirum CAESAR, non amplius in Britannia verſatus, quam vt poſſet, quod canit LVCANVS:

Territa quaeſitis oſtendere terga Britannis;

non

non tam haec et ſimilia aſſerit, quam ex aliorum minus forte gnarorum ſenſu refert; quod verbo *exiſtimatur* intelligere ſe ſatis innuit. Vnde *lib.* IV. planiſſime ſcribit: *Genus hominum*, (in Britannia ſcilicet) *loca*, *aditus*, *omnia fere Gallis erant incognita; neque enim temere praeter mercatores adit ad illos quiſpiam.* Si inſula iam notiore ſcripſiſſet, non aliter, quam illum inſequuti auctores paene omnes, ſcripſiſſet. Quin potius cum TACITO in *vita Agricol.* dixiſſet: *In vniuerſum exiſtimanti Gallos vicinum ſolum* (Britanniam) *occupaſſe credibile eſt: quorum ibi ſacra deprehendantur, ſuperſtitionum perſuaſione, ſermonem haud multum diuerſum, in depoſcendis periculis eamdem audaciam:* aut cum Britanniae alumno BEDA, *cap.* I. *Britannos de Armoricano tractu in Britanniam aduectos:* aut etiam cum ipſo CAMBDENO, *Britannos verum eſſe Gallorum propaginem, e nomine, ſitu, religione, moribus et lingua.* Et quis non videt, ita natura comparatum, vt a terra continente potius inſulae, quam contra, primos incolas ſuos acceperint? (quod ſupra monuimus.) Ideoque tempore et potentia priores Galloſ, religionem quoque ſibi potius effinxiſſe, quam a coloniis ſuis tanto ſe poſterioribus *hauſiſſe?* Quod ſi Gallorum quidam diſciplinae Druidarum auidiores, in Britanniam diſcendi cauſa profecti fuerint; id maiorem Britannis Druidibus antiquitatem non aſſerit, quam aſſeruiſſet monachorum priſcorum quilibet, qui ex Lirinenſi vetuſtiſſimo monaſterio in nouum Caſſinenſe tempore S. Benedicti accuratioris diſciplinae diſcendae cauſa transmigraſſet. Pag. 161.

§. VIII.

Sed quid de PLINIO cenſebimus, qui *Druidas* tradit, *nulla ſine quercus fronde ſacra facere, vt inde appellati quoque interpretatione Graeca poſſint Druidae videri?* Quercus enim Δρῦς Graece dicitur: vnde et *Dryades*, a quernarum maxime ſiluarum incolatu, Graecis dictae. Si autem a Graecis Druidae nomen, cur et originem non duxerint? praeſertim, quum teſte quoque CAESARE, *tam in rebus publicis quam priuatis rationibus, litteris Graecis vterentur.* Quod et in *Hercule Gallico* LVCIANVS confirmat, quum Gallorum philoſophorum quempiam (indubie Druidam) picturas quasdam Graece ſibi explicuiſſe teſtatur.

§. IX.

PLINIVS in primis non exſerte affirmat, Druidas appellatione Graeca ſic dictos, ſed ita quercum amaſſe, vt *inde interpretatione Graeca appellati videri poſſint;* iis ſcilicet, qui Druidarum originem aliunde ignorarent. Ita PLVTARCHVS Hebraicae linguae prorſus ignarus, Iudaicam vocem *ſabbathum* a Ioue Sabbatio deriuat. Ita STRABO Germanos a Germana Gallorum fraternitate dictos ſcribit. Ridicule. Timidius hic PLINIVS, eoque cautius, loquitur. Sane Druidae ſi origine Graeci eſſent, aut ex Maſſilienſibus, aut ex vicina prouincia, quae mediterraneo mari appoſita, commercia cum Graecis inſtituere maxime potuit, orti eſſent. Hos vero longe primis Galliarum incolis poſteriores eſſe, res ipſa loquitur; tum vero etiam AMMIANVS *lib.* XV. *cap.* IX. et ante eum TIMAGENES lingua diligentiaque Graecus, quum *Aborigines primos in Galliis viſos eſſe* dicunt. Quis Aborigines iſtos, id eſt, primae incognitaeque originis Gallos, ſine vlla religione, ſine ſacerdotibus ſacrificiisque fuiſſe credat? Quis vllius Graecae gentis, quaecumque demum et quandocumque auſtralia Galliae littora tenuerit, priſcos ſacerdotes Druidas inaudiit? Quis eorum ceu Graeciam incolentium mentionem vmquam fecit? Quomodo ergo nomen Druidibus, aut cur iis potius quam Bardis et Vatibus aut Eubagibus impoſuerint?

§. X.

Neque vero ſolos ego Druidas credo quercus et lucos amaſſe; omnium paene gentium iam inde ab orbis origine morem illum fuiſſe video. In lucis quidem pleroſque omnes litaſſe ſacraque peregiſſe, ſicut et habitaſſe, non e VIRGILIO modo poetisque ceteris, ſed e ſacris quoque codicibus intelligimus. In quibus quum quercus et maiore ſui frequentia, et altitudine, contraque caeli iniurias latitudine, robore, vivacitate, adeoque fructu (nam glande primum vixere mortales) maiorem quoque ſui maieſtatem conciliaret; quid mirum, ſi eam ceteris et amore et cultu praetulerint homines? quid mirum ſi Cerere deinde, frumentoque reperto, et glandium loco in hominum alimenta conuerſo, Druidae noſtri, aliique etiam gentium aliarum ſacerdotes, ad quercus ſacrificare perrexerint, ſeu auitorum rituum memores, ſeu laetiores Deo gratias acturi, quod ſil-

ueſtrem

ueſtrem inſipidamque glandem, nouo adeoque ſuaui pabulo, tritico inquam, permutaſſet? Ita non magis Druidarum quam Dodonaea quercus, oraculo quoque memorata, mira nobis videbitur. Ita CLAVDIANVS *de laudibus Stiliconis libro* I.

Hercyniam ſiluam lucosque vetuſta
Religione truces, et robora numinis inſtar.

apte memorauerit. Nec ſecus VIRGILIVS *Georg.* III.

Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos.

Et *Aeneid.* III.

Quales cum vertice celſo
Aeriae quercus, aut coniferae cyparisſi
Conſtiterant, ſilua alta Iouis, lucusue Dianae.

Denique Iſraelitis id per EZECHIELEM exprobrat Deus ipſe *cap.* VI. *v.* 13. *Et ſcietis quia ego dominus, quum fuerint interfecti veſtri in medio idolorum veſtrorum, in circuitu ararum veſtrarum, in omni colle excelſo, et in cunctis ſummitatibus montium; et ſubtus omne lignum nemoroſum, et ſubtus vniuerſam quercum frondoſam, locum vbi accenderunt thura redolentia vniuerſis idolis ſuis.* Druidae igitur quercus non ſoli dilexerint coluerintue, nec ab iis magis quam aliae Graecum nomen inuenerint.

§. XI.

Nec me magis mouet quod ſubdit CAESAR, *Druidas in reliquis fere rebus priuatisque rationibus litteris graecis vſos;* quando ipſe ne ex iſto quidem ritu Graecam illis originem attribuit. Ad haec, *litterae* iſtae *Graecae*, vel pro lingua Graeca, qua conſignatas ſcimus tot ſcientias, vel pro ſolis characteribus, Gallico idiomati aptatis, capiuntur. Si pro lingua ipſa ſeu ſermone, nihil mirum Druidas eius ignaros haud fuiſſe, eo praeſertim ſaeculo, quo STRABO ſub Tiberii principatu Gallis paene omnibus adeo communem facit, vt de Maſſilia ſcribens iſta tradat *lib.* III. *Vrbs ea barbaris loco ludi litterarii patefacta fuit; et Graecarum litterarum ſtudioſos reddidit Gallos; vt contractuum quoque formulas Graece conſcriberent. Nunc vero nobiliſſimis etiam Romano-*

rum perſuaſit, vt pro Athenienſi peregrinatione Maſſilienſem ſuſcipiant. Quos quum vident Galli, quia in pace viuitur, ipſi quoque lubentes otium huic vitae inſtituto impendunt, non modo priuatim, ſed et publice. Nam praeter ſophiſtas, qui priuatis ſumtibus eo commeant, publicis etiam ciuitatum ſtipendiis cum ſophiſtae tum medici illis aluntur. Ita ille. Druidibus igitur non origo ſeu ortus, ſed ardens ſtudium, et philoſophiae medicinaeque amor Graecae linguae notitiam infuderat: praeſertim quum philoſophiam illi ſuam, cuius amore tantopere tenebantur, cum Graecanica tam celebri conferre percuperent. Qua proinde lingua, quum familiarem ſibi reddidiſſent, nihil mirum, ſi etiam paullo ante publicis priuatisque rationibus vſi ſint. Ita maiores noſtri, eccleſiaſtici maxime, Latinas tota Europa ſcholas inſtituerunt.

§. XII.

Si *litteras Graecas* pro ſolis characteribus CAESAR capit (quod nonnulli probabilius exiſtimant) tunc ſermo Graecus ad Gallorum vrbes Maſſiliae dumtaxat confines vicinasque reſtringendus eſſet; quas *barbaras ſupra eos ſitas* STRABO vocat. Sane linguam Graecam non omnibus Druidibus notam, pluſcula perſuadent. Primum enim id non tacuiſſent ſcriptores Graeci, tanti rerum ſuarum buccinatores. Ad haec CAESAR *comment.* I. quum *Diuitiacum ad ſe vocari iuſſit, quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium Troacillum principem Galliae prouinciae, familiarem ſuum, cui omnium rerum fidem habebat, colloquutus eſt.* Graecae linguae probe gnarum fuiſſe Caeſarem nemo negauerit; cuius tamen Diuitiacum neſcium fuiſſe neceſſum eſt, quando per interpretem colloqui debuit cum eo Caeſar. Quodſi Diuitiacus Ae-
Pag. 162. duorum princeps, adeoque, vt de diuinatione *ſcribit* CICERO *lib. de diuinat.* e Druidibus vnus, Graece neſciuit; tot inferiores alii, tot a Maſſilia in Boream remotiores, etiam Carnutes, etiam Belgae ſciuiſſent? Quomodo igitur *comment.* V. CAESAR, epiſtolam ad Q. Ciceronem, in Neruiis obſeſſum, Graecis conſcriptam litteris miſiſſe ſe ſcribit, ne ea intercepta, ſua ab hoſtibus conſilia cognoſcerentur? Si obiicias Latinam quoque linguam tota iam Europa notiſſimam, a plerisque tamen nobilium ignorari; facile reponam ab eccleſiaſticis et iudicibus, qui ſententias et contractus Latine contexunt, non aeque ignorari poſſe. At Druidae, teſte CAESARE, litteris Graecis

cis in priuatis publicisque rebus vtebantur, praeſertim quum de omnibus controuerſiis conſtituerent, ſententiasue ferrent. In Anglia, Germania, alibiue, vbi etiamnum Latine iura redduntur, edicta ſanciuntur, nihil mirum ſi nobiles aliquot Latine neſciant: at qui iudicum, ſacerdotum, ſcribarumque munere funguntur, non mirum eſſet neſcire?

§. XIII.

Ceterum quod ad characteres Graecos attinet, dici forte poſſit, Gallos ac Druidas, quum diu diſciplinam ſuam non litteris ſed memoriae mandaſſent, ac humaniores poſtmodum facti litteris etiam conſignare vellent, litterarum figuras a vicinis Maſſilienſibus veriſimiliter mutuatos, aut veteres ſuas minus concinnas, ſi quas habuerint, elegantioribus Maſſilienſium Graecorumue commutaſſe: ſicut Germanos iam ac Boreales paene omnes natiuos ſuos characteras elegantioribus Italicis poſthabere videmus. Non deſunt tamen, qui priſcos Druidarum characteras, et elegantes, et Graecis ſimiles fuiſſe credant. XENOPHONTE ſiquidem et ARCHILOCHO teſtibus, litterarum figurae, quas in Graeciam e Phoenicia Cadmus intulit, Galaticis quam Punicis ſiue Phoeniciis ſimiliores exſtitere. Ac licet Galatas hic non noſtros, ſed Aſiaticos, intelligamus; nihil tamen vetat, quin et Aſiatici Galatae, Gallorum Europaeorum (quibus orti erant) characteras, aeque ac linguam, retinere potuerint; quam paene Treuerorum fuiſſe, *praefatione in epiſtolam ad Galatas* teſtatur HIERONYMVS: evidenti argumento, Galatas eos, qui poſt longos errores tandem in Aſia ſedem fixerint, e Treueris Belgisque ortos ac profectos. Quumque Gallia Galatae iſti eodem fere tempore, nempe Tarquinii Priſci, quo Maſſiliam condidere Phocenſes, exceſſerint; pari euidentia ſequeretur, non a Graecis eos litterarum ſigna hauſiſſe, ſed pari minimum vetuſtate, et iam inde a prima linguarum diuiſione poſſediſſe. Ita quum Druidas ait CAESAR Graecis litteris, ſeu characteribus vſos, litterarum ſimilitudine deceptus id dixerit. Nedum, quod PLINIVS dicere videbatur, Druidarum nomen Graecum extulerit.

§. XIV.

Celticum potius eſſe nihil dubium, ſiue ab hodierno Germanico *Trew* aut *Traun* deductum, quod *fidem fidelitatemque* ſignificat. Quibus

bus enim potius quam Druidibus ſuis eam animi notionem Galli tribuiſſent? Hinc in SIRMVNDI noſtri *capitularibus* et conciliis alibiue *Drudos* legimus, pro regum vaſallis et fidelibus, ſeu baronibus conſiliariisue, qui fidem ſeruant. Sed et aliam Flandrica noſtra Brabandicaue ſuggerit etymologiam, nempe *Truyt*, *Trut*, et *Trud*, aliquando *Drud*, quae vox antiquitus ſocietatem copulamque, ſeu pace ſeu matrimonio initam, ſignaſſe, et perſonis nomina Gertrudis, Adeltrudis, Rictrudis, Waldetrudis formaſſe videtur; haec enim nihil aliud, quam Guerrae ſeu belli, nobilitatis, opum, et regnorum coniunctionem ſonant. Ita Druidae, quaſi eorumdem ſtudiorum, exercitiorum, functionumque, diuinarum maxime ſocii dicti fuerint; quo AMMIANVS quoque alludere videtur, quum eos *ſodalitiis adſtrictos conſortiis* ſcribit. ALFRICVS quidam in *gloſſario Saxonico-Latino*, teſte CLVVERIO *lib.* I. *cap.* XXIV. Saxonas in Britannia *Magum* ſua lingua vocaſſe *Dry*, teſtatur: plane ad id, quod ſupra PLINIVS de Druidibus loquens, ait, *ita Galli ſuos appellant Magos.* Sed vnde vox illa *Dry* manarit, ſilet.

§. XV.

Poſtremo feminas quoque Druidas in Gallia fuiſſe, teſtatur in primis illa, quam Tungris imperium Diocletiano praedixiſſe infra memorabo; tum inſcriptio illa GRVTERI *pag.* 62. Metis aut circa reperta: *SYLVANO SACR. ET NYMPHIS LOCI ARETE DRVIS ANTISTITA SOMNO MONITA.* Ita duas Druidas Belgia noſtra memorat. Denique HIERONYMVS *epiſtola ad Hedibiam*, quae cum Algaſia de vltimis finibus Galliarum multa ei dubia, per quemdam Apodemium, propoſuerat; maiores eam Paterium atque Delphidium habuiſſe ſcribit; quos Druidarum ſtirpe in Aremoricis et Baiocaſſis ſatos canit AVSONIVS *de profeſſoribus carmine* V. VI. et XI. Ita iam tum HIERONYMI aeuo, ea Galliarum pars extrema, quae modo Normandia dicitur, feminas nobiles, et quidem ſtirpe Druidarum ſatas, non Chriſtianas modo, ſed et in ea fide doctiſſimas, quaeque vel HIERONYMVM ipſum profundis quaeſtionibus exercere poſſent, alebat. Quantus eſſe potuit aliorum numerus? Quidni et Belgae contigui eadem caeli luce illuſtrati fuerint?

EXCER-

Digitized by Google

EXCERPTVM
EX
PAVLLI MERVLAE
COSMOGRAPHIA
P. II. L. III. cap. XI. p. 310.
ed. Amſtelod. 1621.

DRuidarum etymon GOROPIVS BECANVS ex Germanico fonte petit. *Druis* enim illi *lib.* I. *Gallicorum*, quaſi *Trouw-wis*, et Britannorum dialecto *Truwis:* a qua voce ſi tollatur littera *w* Latinis ignota, primaque, quae tenuis, commutetur in mediam, confectum erit *Druis*, veri ſapiens, verum aliis monſtrans, oſtendensque, et cui ſit fidendum, et quicum coniugii copula contrahenda; ita vt is, qui hoc ſibi nomen ſumit, ſeſe omnis veritatis et fidei cum erga Deum, tum erga homines profiteatur doctorem, vnde et *ſapientiae magiſtros* facit eos POMPONIVS. Certe *Drutin*, vel *Trutin*, antiqua Germanorum lingua, DEVS, quaſi *fidelis*, vt videre eſt in OTFRIDI *euangelio* typis excuſo. Apud CAMBDENVM quoque in *Britanniae deſcriptione* ALBRICVS quidam ſcribit, *Dry* Saxonibus *Magum* vocari; vt non immerito *Magos* etiam nominet *Druidas* PLINIVS. Nomen enim ab *quercu* ipſis non eſſe inditum, idem PLINIVS ſatis fatetur, dum addit, ab quercu eos poſſe Graeca interpretatione appellatos *videri.* Nam qui poſſent ab Graeca voce Δρῦς denominati eſſe, quum ipſorum diſciplinam repertam ſcribant CAESAR et TACITVS XIV. *annal.* in Britannia, vbi nulla vmquam, niſi fabulis quis locum cenſeat dandum, Graecorum fuit colonia? Germanicae vero linguae in Britannia vſum fuiſſe, docent iidem TACITVS et CAESAR: quorum hic ex Belgica (in qua eodem auctore Germani cis-Rhenani) colonos in hanc inſulam tranſiiſſe, ibidemque remanſiſſe, ſcriptum reliquit: ille Caledoniam, inſulae huius magnam partem, habitantibus Germanicam originem tribuit. Nominantur hi ſacerdotes varie. *Druidae*, prima, vt grammatice loquar, inflexione, apud LVCANVM *lib.* I. *belli Pharſal.* et AVSONIVM in *Attio rhetore*, *profeſſore;* vt et Δρυίδαι apud STRABONEM, DIOGENEM

Aa LAER-

LAERTIVM, et SVIDAM: *Druides* autem tertia, apud CAESAREM *de bello Gallico*, et M. TVLLIVM *de diuinatione*. Sic enim ibi legit NIZOLIVS, vbi *Druidae* in aliis ſunt exemplaribus. Eſt autem hoc vocabulum inter ea, quae veteres librarii varie corruperunt: *Driudae* namque et *Driadae* frequentius, quam *Druidae*, in antiquis codicibus occurrunt. Synonyma Druidarum fuerunt, vti cenſet PITHOEVS, *Bardi*, *Vates*, *Eubages*, *Semnothei*, *Saronides*.

IOAN. PETRI MILLERI, A. M.

hodie in Gymn. Vlm. Con-Rectoris, Hiſtoriar. et Graec. Ling. P. P. ac Bibliothecarii,

de nomine Druidum coniectatio.

Ex eius epiſtola familiari

ad B. IOAN. GEORG. FRICKIVM

excerpta.

PLacet certe mihi, quod in perpolita commentatione TVA Druidarum nomen non ex Graeca, ſed ex veteri Celtarum lingua deriuandum autumas. Nec tamen eapropter TIBI penitus adſentior. Sunt enim, quae ad verum propius accedere videntur, quaeque, ſi extemporalem diſputationem non faſtidias, breuiſſime exponam. *Deru* aliquando *quercum* denotaſſe, recte probas, atque ego non diffiteor. At, niſi omnia me fallunt, haec ſignificatio non propria, ſed metonymica et tantummodo translata eſt. Etenim haec ipſa vox interdum quoque *ru*, *rue*, atque *roe*, a veteribus expreſſa eſt, omiſſo *de*, quod igitur nil niſi aliquem articulum (Angl. *the*, et German. *der*, *die*, *das*,) fuiſſe arbitror. Iam vero *ru* aut *rue*, *iudicium* et *regimen* potiſſimum ſignificaſſe, adeo, opinor, inter eruditos certum eſt, vt prope nulla de re minus ambigant. Inde enim voces *rüge*, *rügen*, *ruggerichte*, et quae harum ſimiles haud leui numero reperiuntur. Quod vero idem nomen *quercui* non minus datum ſit, nequaquam inſolens videri poteſt, quum iudicia ad quercum, ceu

ceu ad ſacram arborem, haberi apud vetuſtiſſimos Celtarum ſueuerint. Ceterum ſi recte PLINIVS, XVI. 44. *nihil habent Druides*, inquit, *ita ſuos appellant Galli Magos*, cet. quidni illos Celtico vocabulo *wys*, ſiue *wis*, h. e. *ſapientes* eſſe appellatos concedamus? Quod ſi autem ſingula iam connectamus, *de ru-wys*, credo, alius non erit, quam *der gerichts-weiſe*, ſapiens, qui iudicio ſacrisque praeeſt, articulo nimirum *de* quaſi per apoſtrophum (vt Sueui noſtri hodienum adſolent,) minuto, atque littera *w*, quam Romani veluti a linguae ſuae idiomate omnino abhorrentem reddere non potuerunt, penitus eiecta. Itaque habemus *Druis*, et Romani, quum hanc vocem ſatis aptam flexioni obſeruaſſent, more quidem ſuo caſus nominis formantes hos *iuſtitiae* et omnium ſacrorum *ſacerdotes* non incommode *Druides* appellarunt. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

EXCERPTA
EX
MARTINI HAMCONII
FRISIA, SEV DE VIRIS REBVS QVE FRISIAE ILLVSTRIBVS,

(*edit. Monaſterii Weſtphalor.* 1609. 4.)

annotatiunculis illuſtrata

per

IOAN. GEORG. FRICKIVM.

Lib. II. Littera P. et Q.

Pontifices Friſiorum ethnici, ſeu praefecti Druidum.

HAIO.

Filius Friſonis * Friſiorum archegi: (ducis) primus hic gentilium ſacerdotum pontifex, ſeu praefectus Druidum, quos *Druyten* Friſii vocabant, ab ipſo videtur patre conſtitutus. Scripſit, vt SVFFRIDVS refert, de Diis patriis; de ſacrificiis Deorum; ac

de delubris altaribusque in Friſia erigendis. HIERON. HEMMENGES (HENNINGES) hunc, ob curam forte ſacrorum, Hagionem vocat, in *genealogiis principum Germaniae*, *editione priore*, vbi et ſtirpem Friſonis regiam ad Radbodum vſque II. ** deducit. Haio hic ex Heila, maiore Cauchorum principis filia, Geroldum, Haionis Cagani, primi Amlandiae dynaſtae, patrem; et Mannum, perilluſtris familiae Hermanae, portusque Manarmanis, PTOLEMAEO noti, conditorem; ac Galonem, Gruni, Groningae fundatoris, parentem, teſtibus STERCKENB. et SVFFR. genuit.

* Qui A. circiter 313. ante N. C. floruit, iuxta HAMCONIVM.
** Qui fratri Gondobaldo, regi, A. 749. poſt C. N. ſucceſſit.

VITHO I.

Hic primus Haioni ſucceſſiſſe inuenitur, ſed longo ex interuallo: * integra enim pontificum, ſeu praefectorum Druydum, ſeries non exſtat. Vixit vt ex HVBERTI SCHOTTI collectaneis apparet, ſub Diocaro Friſiae principe ** circa annum Domini 30. quum paullo ante templum celeberrimum *Tanfane*, vulgo *T'aldenſanae*, id eſt, ad vetus vexillum, in Marſis Friſicis, a Romanis euerſum eſſet. De quo TACITVS *lib.* I. *annal.* Vide SVFFRID. *de ſcriptoribus Friſiae dec.* VIII. *cap.* III.

* Annorum ſcilicet 360.
** Regere hic coepit Friſios ann. Domini II.

SERAPIO.

Succeſſit patri, * ſedemque ſuam vt ceteri omnes, teſtibus SVFFRIDO et SCHOTTO, in aula Dei Stauonis, ** vbi nunc eſt Leouardia, habuit. Vixit ſub Dibbaldo principe, circa annum Domini 70. quo tempore S. Aegiſtus, † diſcipulus Domini, Roma a diuo Petro miſſus, Friſiis Saxonibusque Chriſtum annuntiare coepit. CAPPIDVS STAVRIENSIS in *eccleſiaſtica Friſiae hiſtoria*. VARNERVS *de laud. antiquae Saxoniae*. CRANTZIVS *Metropol. lib.* I. ſed is nomen S. Aegiſti non exprimit.

* Vithoni I.

** Stauo

** Stauo Friſiorum fuit Iupiter, cultus praecipue in vrbe Stauria, regni quondam metropoli. Huic litatum fuit humanis victimis, vt liquet ex diuerſis SS. vitis. HAMCONIVS *lib.* II. de eo ſic canit:

Friſicique exordia regni,
Nominis in patrii Stauonis molitur honorem,
Conſecratque Dei: cui ſtructo, altaria, phano,
Erigit, et ſupplex humano ſanguine libans,
More litat patrum funeſto thure ſuorum.

† *Qui prima ſalutis*
Per Friſiam, tenui, diſpergens ſemina, fructu,
Saxoniam petiit: Bardeuicique peremtus,
Martyrio, ſignis, et ſacra claruit vrna. Idem HAMCON.

HARCO I.

Filius Serapionis: cathedrae ſimul, et publicae Friſiorum ſcholae * praefuit, nomenque *Sapientis*, teſte SVFFRIDO, cum reliquis Druydum praefectis inde adeptus eſt. Schola autem haec, eo fuiſſe loco ſcribitur, qui adhuc Leouardiae vulgo Oldehooff, id eſt, vetus aula, dicitur. Vixit ſub Tabbone principe, ** circa annum 120.

* Nota hic, lector, cathedras doctorum Druydum et ſcholas in Friſia publicas.

** Hunc doctum fuiſſe principem et litterarum amantem oportet, ſiquidem iuxta auctorem noſtrum

Illuſtria fagi
Scripſit in aſſerulis maiorum geſta ſuorum,
Friſonis antiqua condens ea bibliotheca.

SYNNA.

Fuit et hic ſucceſſor patris ſui; * ſcripſit ad Aſconium I. Friſiae ducem, ** de colendis Diis patriis et exterminandis chriſtianis, † quorum nonnulli tunc in Friſia videntur fuiſſe, ex poſteris forte eorum, qui olim a S. Aegiſto conuerſi erant; nam et coenobia ibi paullo poſt erecta, chronica Hollandiae referunt. Vixit anno circiter 165.

* Harconis I.

** Druydum patronus hic iuxta noſtrum erat.

† Ideoque Haioni, ſupra dicto, zelo pro religione patria haud inferior.

HARCO II.

Hic Synnae Sapienti (ſic enim vulgo dicebatur) ex interuallo pontifex ſeu praefectus Druydum in aula Dei ſucceſſit. Scripſit de immortalitate animae humanae, * et de anima brutali, vt HVBERTVS SCHOTVS refert. Vixit ſub Harone orientalis, et Diderico occidentalis Friſiae ducibus, circa annum 310.

* Ex hoc loco patet, dogma de immortalitate animae humanae inter palmaria olim a Druidis relatum eſſe.

VITHO II.

Scripſit hic, CAPPIDO et SCHOTO teſtibus, de reſtaurandis delubris Deorum; * de reformandis gymnaſiis; ** de publicis actis ad poſteritatis memoriam diligenter conſeruandis; † de locupletanda bibliotheca publica; quam Stauriae, cum ingenti antiquitatum Friſicarum damno, exuſtam SVFFRIDVS †† refert. Obiit ſub Richoldo primo Friſiae rege, anno 452.

* Vide ſupra in Haione et Synna.
** Vide, quae ſub Harcone I. dicta.
† Tabbonem principem imitatus, de quo ib.
†† *De ſcript. Friſ. dec.* VII. *cap.* III.

POPPO.

Ethnicarum litterarum longe peritiſſimus. Scripſit de cultu Deorum; * de ritu ſacrificiorum; de officiis Druydum; ** de rebus geſtis Harconis Rodmanni et Siuardi Hopperi, claſſis Hengiſtianae praefecti; † de vnione occidentalis Friſiae regni cum orientali, eiusdemque per Francos, caeſo Beroaldo, oppreſſione. Exauctoratus a Francis, per Radbodum I. dignitati reſtitutus eſt, circa annum 676.

* Vt Haio, Synna, Vitho II.
** Hoſce ſi ſuperſtites haberemus libros, multa in luce clariori collocare de Druidum doctrina pariter et diſciplina datum nobis eſſet.
† Immo praefectorum, anno Chr. circiter 500. clarorum. Inſpice noſtrum, ſi lubet, vbi de coloniis Friſiorum, et ſpeciatim Friſiis inſulanis agit.

SIVAR-

SIVARDVS.

Hic libros Ciceronis de natura Deorum tamquam erroneos damnauit, et publice exuſſit. * Scripſit hiſtoriam principum, ducum et regum Friſiae; ac de prohibenda Chriſtianorum doctrina; quorum hoſtis erat acerrimus. ** Vixit, vt SVFFRIDVS notat, circa annum 770.

* En lepidum ſuperſtitioſi furoris exemplum.
** Vide ſupra in Synna.

OCCO.

Vir ferox, ac pontificum ethnicorum Friſiae vltimus. Scripſit de doctrina Druydum;* de ſucceſſione profeſſorum eiusdem doctrinae in aula Dei; de ſacrificiis Deorum, et vindicando eorum cultu aduerſus Chriſtianos, ad Radbodum II. Friſiae regem; qui tamen regno priuatus, ** a S. Adelberto ad fidem conuerſus eſt, et Egmondae pie obiit, vt patet ex ſuo epitaphio.

* Haec conferenda cum iis, quae in Poppone notauimus.
** Friſiae rex vltimus fuit, qui per Carolum M. ſolio depulſus auito A.C. 775.

* * *

Non poſſum non modo dictis etiam ſequentia addere ex HAMCONII *libro II. plag. L.* quibus ſuperiora de Druidibus mirifice illuſtrantur.

Haio ſacerdotum princeps fuit, atque magiſter,
Praefectusque Dei diuinae Stauonis aulae;
Aulae, quae veterum gentili tempore patrum
Sacra fuit Druydum domus, et ſchola valde celebris,
Illo ſtructa loco, quo nunc Leouardia templi
Relliquias videt, hac ſeruantes nomen ab aula.
Hagio materna, quodam velut omine, lingua,
Dictus hic eſt infans; nam rerum cura ſacrarum
Omnis apud Druydes, oracula, litterae, et artes,
Et tota arcanis contenta ſcientia libris,
Quorum rarus erat populo tunc vſus agreſti,
Quantumuis aliquos ſecum deuexerat iſtuc.

Non-

Nonnullos etiam Friſo conſcripſerat ipſe
Litterulis Graecis, proprioque idiomate; ſicut
Tum quoque filioli dociles fecere nepotes,
Atque ipſi Druydes gymnaſia prima regentes:
Occo, puta, et Poppo, Serapio, Synna, Vithones
Herconeſque graues, et tetricus ille Siuardus,
Qui de natura Ciceronis ſcripta Deorum
Doctrinae haereticae Stauonis damnauit in aula
Publice, et exuſſit. Fluuio Burdone fauillas
Excipiente ſacras.

Idem in *Acroſtichide,* quam *in laudes annalium* SVFFRIDI PETRI ſcripſit, ac *Friſiae* ſuae inſeruit, Druidas patriae illuſtres ita celebrat:

Conſpice, quam tetricos, dimiſſo lumine, vultus
Oſtendunt Druydes; paſſos tegit infula crines,
Luridaque apportant veterum ſimulacra Deorum.
Offert, ecce, ſui veſtitum a) pelle Leonis
Nominis, b) Harco Deum: Stauonem c) de more triſulco
Igne refulgentem Poppo, teretique ſariſſa
Et galea armatum, triſtis Serapio, Foſtam. d)
Nuda ſeni Freda eſt arcu e) Waldacha f) Vithoni
Sarcina, et g) Occoni gemino h) Warns aliger angue.
Immitemque grauant i) Hollerque et k) Meda Siuardum,
Snein l) radians Synnam: reliquos quae neſcio laruae.

a) Hercules Nemei Leonis interfector, in Friſia Harco nuncupatus.
b) Harco Druys, nomine II.
c) Stauo, Iupiter, ſummus gentilium Deus.
d) Foſta, iuxta HAMCON. Friſiorum Mars, vel, vt alii, Veſta fuit.
e) Diana Waldacha, et Venus Freda a Friſiis dictae.
f) Vitho I.
g) Occo, Druydum Friſiae vltimus.
h) Warus, Mercurius.
i) Holler, olim Pluto, quaſi Hol-Heer, inferni dominus.
k) Meda pro Medea, Medenblici culta, vrbi nomen dedit.
l) Snein, Sol, Senecae cultus, vnde et vrbs ea Snits.

CATA-

CATALOGVS SCRIPTORVM
DE
DRVIDIS
ET REBVS
AD ANTIQVITATES ILLORVM PERTINENTIBVS

MAXIMAM PARTEM COLLECTVS
A
B. IOANNE GEORGIO FRICKIO
ORDINE AVTEM DIGESTVS ET PASSIM LOCVPLETATVS
AB
ALBERTO FRICKIO.

VT VICEM ADEOQVE
BIBLIOTHECAE DRVIDICAE
FERRE QVEAT.

Digitized by Google

LECTORI ERVDITO AC BENEVOLO
S. P. D.
EDITOR.

PRimas hic tantummodo lineas conſpicis, L. B. et velut iconem tractationis copioſioris, quam de ſcriptoribus, qui Druidarum hiſtoriam, variasque illorum antiquitates ſcriptis ſuis expoſuerunt, inſtituere beatus FRATER meus in animum induxerat, morte vero praeuentus omnino non potuit: nullus autem plane dubito, quin haec, quam tuis nunc oculis ſubiicio, maioris opellae ſciagraphia, attentione tua non prorſus indigna cenſeatur. Non inſuetum eſſe viris doctis, qui de re quapiam commentari ſatagunt, auctores colligere, quos idem eiusdem rei ſtudium antea exercuit, et lectorum conſpectui exhibere, vel ſolius IO. ALB. FABRICII conſtat, quem immortalis gloriae virum paſſim in ſcriptis ſuis eruditiſſimis varios eiusmodi ſcriptorum de variis argumentis catalogos contexuiſſe, magno eruditorum bono, quamplurimi norunt. Itaque dum in perueſtigandis Druidarum antiquitatibus ſtudium indefeſſum per aliquot annos optimus FRATER meus poſuit, et induſtria ſumma euoluit libros longe plurimos, quos in rem ſuam fore credebat, nomina ſimul auctorum librorumque diligenter annotauit, olim quando libellum ſuum, dante Deo, editurus erat, comitem eidem bibliothecam Druidicam, ſi vocare ita velimus, adiuncturus. Confirmauit hanc eius induſtriam, vel potius ſi recte dicere, quod res eſt, velim, excitauit amico hortatu ſuo vir celeberrimus, ac ſumme venerabilis IACOBVS WILHELMVS FEVERLINVS, theologus tum temporis Altorffinus, hodie Goettingenſis primarius,

marius, cuius olim fauore inſigni ac plane ſingulari gauiſus, non illo tantum tempore, quo Altorfii vixit, FRATER meus, ſed etiam, quum in patriam rediiſſet. Ille enim vt eſt ad promouendas litteras omnis generis felici ſidere natus, per litteras primum ſignificauit eximium inſtitutum, quod ſecum voluerit, edendi aliquot voluminibus *theſauri antiquitatum litterariarum de Druidibus*, mox vero quum abiiciendum rurſus conſilium iſtud ſtatueret, atque viciſſim noſtri conamina intelligeret, non ſolum vt alacriter incepta perſequeretur, monuit, verum etiam liberali manu multa egregia, quae in rem hanc facere poterant, communicauit. Factum hinc eſt, vt, dum de conquirendis vndique ſcriptoribus et cum fructu euoluendis ſollicitus erat, conſilium ſimul ceperit, edendae cum ſua commentatione *bibliothecae Druidicae*, ſ. ſcriptorum, qui res Druidarum quacumque ratione illuſtrarunt, indicem, quantum fieri poſſet, locupletem, et ita quidem inſtruendum, vt ille non modo, alphabetico, quem vocamus, ordine ſcriptores ſiſteret, ſed etiam, quaecumque vel de auctoribus ipſis vel eorum libris memorabilia eſſent, ex hiſtoria litteraria et libraria adiiceret, librorum vero deinceps ipſorum recenſum daret nec iuſto breuiorem, nec nimis amplum, huncque tandem annotatiunculis ſuis paſſim, vbi opus, illuſtraret. Laudabunt, ſpero, hanc beati FRATRIS voluntatem homines cordati doctique, et dolebunt forte mecum, tam praeclaris conatibus immortuum omnino ante diem virum optimum eſſe, quum vtique ab illius diligentia exſpectari plurima bona poterant. Enimuero vt et in magnis voluiſſe ſat eſt, ita, dum beatius longe ac excellentius ipſi ſtudium caeleſte, ad quod euocatus a Numine ſanctiſſimo eſt, nunc non inuidebunt, hoc quidquid eſt opellae litterariae ab ipſo relictae, aequis benignisque manibus accipient. Inter ea ſpecimen recenſionis a beato viro inchoatae dabunt illa, quae de PICARDO, FORCATVLO atque TAILLEPIED litteris ab illo conſignata, ſectione huius indicis ſecunda exhiben-

hibentur. Ordinem vero catalogi huius noſtri quod attinet, in *tres* illum *claſſes* diſtingui quum rectiſſime poſſe mihi viſum eſt; quarum *prima* ſcriptores antiquiores exhibet Graecos ac Latinos, qui de Druidis aliquid litteris prodiderunt; *altera* recentiores complectitur, qui data opera de iis vel ſingularibus libris, vel ſaltim pluribns capitibus expoſuerunt; *tertia* denique illos continet, qui vel obiter et quaſi aliud agendo illos attigerunt, vel ad illuſtrandas Druidarum, immo Celtarum in vniuerſum, antiquitates aliqua, vel plura vel pauciora attulerunt. Ceterum quum et ante nos eadem opera functi viri celebres, eiusmodi ſcriptorum de Druidis catalogos dederunt IAC. LE LONG *lib.* I. *cap.* III. *de la bibliotheque hiſtorique de France*, numquam nobis viſus: beatus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *annotat. ad Origenis philoſophumena pag.* 170. *ſq.* CHRISTIAN. GOTTLIEB BVDERVS, vir celeberrimus, et inſignis olim noſter fautor, *bibliotb. ſcriptorum rerum Germanicar.* §. XIII. HENR. HEISENIVS, vir clariſſ. *oratione auſpicali de eloquentia veterum Germanorum pag.* 118. *ſqq.* IOAN. IARKIVS, vir erud. *ad* SCHEDIVM *de Diis Germanor. pag.* 369. *ſq.* RVD. AVG. NOLTENIVS, vir doctiſſ. *conſpectu theſauri antiquitatum Germanicar. pag.* 36. *ſq.* ac denique eruditiſſimi SOCIETATIS TEVTONICAE LIPSIENSIS ſodales *parte* II. *der Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache, Poëſie und Beredſamkeit pag.* 323. *ſqq.* illo nos quidem virum eruditorum labore haud parum adiutos nos eſſe, gratus profiteor, ſed et adiectos a nobis ſcriptorum multo plures facile illi ipſi largientur; licet fortaſſe non plane nulli diligentiam noſtram effugerint, a ſtudioſis harum rerum obſeruatoribus haud difficulter noſtris adiiciendi. Quamuis igitur valde imperfecta haec opella noſtra ſit; tu tamen, beneuole et candide lector, pro aequitate tua eidem facile, vti quidem ſpero, ignoſces, quippe memor, hanc imperfectionem non noſtrae voluntati, ſed durae fati acerbioris legi eſſe tribuendam. Bene vale!

CLAS-

CLASSIS I.

Scriptores de DRVIDIS, et rebus ad illos pertinentibus, antiquiores, Graecos et Latinos, complectens.

AELIANVS variar. hiſtoriar. lib. II. cap. XXXI.

AMMIANVS MARCELLINVS lib. XV. cap. IX. hiſtoriar. cum obſeruationibus HENR. VALESII, Paris 1681. fol.

ATHENAEVS deipnoſophiſtarum lib. VI. fol. 246. cum obſeruat. IS. CASAVBONI.

AVSONIVS de profeſſorib. Burdigal. carm. IV. cum annot. VINETI.

CAESAR (C. IVL.) de bello Gallico lib. VI. cum commentatoribus, in edit. IVNGERMANNIANA, et DAVISIANA.

CAPITOLINVS (IVL.) Maximinis cap. XXII. cum comment. SALMASII, ſcriptor. hiſtoriae Auguſtae tom. II. p. m. 52.

CICERO (M. TVLL.) de diuinatione lib. I. et de legibus lib. V. it. orat. pro M. Fonteio, ſect. XX.

CLEMENS ALEXANDRINVS Stromat. lib. I. fol. 357. ſq. it. lib. III. fol. 539. et lib. V. fol. 658. edit. viri reuerendiſſimi IOAN. POTTERI.

CYRILLVS ALEXANDR. contra Iulianum lib. IV. fol. 133. ex edit. EZECH. SPANHEMII, ſed breuiſſime.

DIODORVS SICVLVS biblioth. hiſtor. lib. V. fol. 308. edit. RHODOMANNI.

DIONYSIVS HALICARNASS. antiquit. Roman. lib. I.

EVSEBIVS de praeparat. euangelica lib. IV. cap. VII. it. lib. III. cap. XI.

FESTVS (SEXT. POMPEIVS) lib. II. voc. Bardus.

HERODIANVS hiſtoriar. lib. VIII. cap. III. p. m. 340. ſq. cum not. BOECLERI.

IOSEPHVS (FLAV.) antiquitt. Iudaic. lib. I. cap. VI. tom. I. fol. 20. edit. HAVERCAMPI

IVSTINVS hiſtoriar. lib. XXIV. cap. VI.

LACTANTIVS (L. CAEC.) inſtitution. diuin. lib. I. cap. VI. num. 3. et cap. XXI. num. 3.

LAERTIVS (DIOG.) de vitis philoſophorum prooem. pag. 2. cum obſeruatt. viror. doctorum in edit. MEIBOMIANA.

LAMPRIDIVS (AEL.) Alexandro Seuero cap. 60. pag. m. 1029. et ad illum SALMASIVS.
LIVIVS (TIT.) hiſtor. Rom. lib. XLIV. cap. 37.
LVCANVS (M. ANN.) de bello Pharſalico lib. I. verſ. 450-462.
LVCIANVS (SAMOSAT.) Hercule Gallico.
MAXIMVS TYRIVS oratione XXXVIII.
MELA (POMPON.) coſmographia, ſ. de ſitu orbis lib. III. cap. II. et VI.
ORIGENES contra Celſum pag. 14. it. 19. ſq. cum not. GVIL. SPENCERI; et philoſophumen. cap. XXV. pag. 168. ſq. edit. b. i. c. WOLFII.
PAVSANIAS Graeciae deſcript. lib. I. fol. 6. it. lib. X. fol. 648. edit. SYLBVRGII.
PLINIVS (C. SECVNDVS) hiſtoria naturali lib. XVI. cap. XLIV. fin. lib. XXIX. cap. III. XII. lib. XXX. cap. I. cet. cum obſeruatt. IOAN. HARDVINI.
SENECA (M. ANN.) *ἀποκολοκυντώσει*, ſ. ſatyra Menippea de morte Claudii.
STEPHANVS BYZANTINVS de vrbibus, fol. 246. edit. BERCKELIAN. Amſtelod. 1678.
STRABO rerum geographicarum lib. IV. fol. 302. edit. ALMELOVEENII.
SVETONIVS (C. TRANQ.) Claudio cap. XX.
SVIDAS in *Δρυΐδαι*.
TACITVS (C. CORN.) annal. lib. XIV. cap. XXX. hiſtoriar. lib. IV. cap. LIV. itemque vita Agricolae cap. XI. et in primis libro de moribus Germanorum, cum variis commentatorum, praecipue DITHMARI, obſeruationibus. Vid. BVDERI *bibliotb. ſcriptorum rerum Germanicar.* §. VI.
TERTVLLIANVS (Q. S. F.) apologetico cap. XXIV. p. m. 238. ſq. et cap. XI. pag. 92. cum annotationibus eruditiſſimis SIGEB. HAVERCAMPI.
VALERIVS MAXIMVS hiſtoriar. lib. II. cap. VI.
VICTOR (SEXT. AVREL.) de Caeſaribus cap. IV. pag. 237. edit. cum notis varior. Lugd. Bat. 1670. 8.
VOPISCVS (FLAV.) Aureliano cap. XLIV. et Numeriano cap. XIV. p. m. 533. et 793. cum obſeruatt. SALMASII.

CLAS-

Digitized by Google

CLASSIS II.

Scriptores de DRVIDIS recentiores, qui data opera de iis egerunt, exhibens.

QVum veri nobis videatur ſimile, beatum FRATREM auctorum de Druidis recenſionem vel ordine chronologico inſtituere voluiſſe, vel demum abſoluta illorum enumeratione ordine alio collocandam ſtatuiſſe, in praeſenti quidem illa, quae de PICARDI, FORCATVLI, et TAILLEPIED monumentis paullo verboſius ſcripta reliquit, primo loco collocare viſum eſt, quibus deinde reliqua breuiora a nobis, litterarum ſeruato ordine, adiiciuntur.

I.

IOANNIS PICARDI, Toutreriani, de priſca Celtopaedia, libri quinque. Quibus admiranda priſcorum Gallorum doctrina et eruditio oſtenditur, nec non litteras prius in Gallia fuiſſe oſtenditur, quam vel in Graecia, vel in Italia: ſimulque Graecos, nedum Latinos, ſcientiam a priſcis Gallis (quos vel ab ipſo Noachi tempore Graece philoſophatos conſtat) habuiſſe; ad HVMBERTVM A PLATIERA, Campaniae proregem et Alexiae praefectum. Pariſiis, ex typographia Matthaei Dauidis, via amygdalina, ad veritatis inſigne, 1556. ex priuilegio regis, 4.
I. alph. 11. plag.

QVid in ſingulis libris ſpeciatim contineatur, auctor ita exponit: Oſtenditur *primo libro*, quanta ſit apud multos auctores incertitudo ſuper iis, qui litteras ac diſciplinas primi coluerint: adhaec, quantum caecutiant, quamque varient inter ſe plerique ſcriptores, qui Gallos aut per malitiam, aut per ignorantiam merita litterarum laude priuent: denique recentiſſimis et veluti nuper natis Graecorum (qui aliorum omnium facta ſuis ſemper attribuere ſoliti ſunt) mendaciis nihil eſſe credendum: itemque litteras longe antiquiores eſſe, quam ab illis traditum ſit.

Altero docetur, quantum litteris et eruditione claruerint priſci Galli, qui plus octingentis ante annis Graece philoſophati ſint, quam Graeci elementa litterarum a Cadmo fuerint aſſequuti: apud quos

quos etiam conſtet, quatuor praeſtantiſſimorum philoſophorum genera, Samotheorum videlicet, Saronidarum, Druidarum et Bardorum ſucceſſiue floruiſſe: qui omnes et eloquentiae cultores fuerunt, et exactam cuiusuis ſcientiae cognitionem habuerunt.

Tertio Graeciam a Gallorum populis illuſtratam olim fuiſſe: ipſisque maioribus noſtris linguam illam, qua vſi ſunt Graeci, tritam admodum fuiſſe ac familiarem: quam poſtea vna cum litteris ac diſciplinis rudi Graeciae contulerunt.

Quarto adducuntur quam plurimae dictiones mere Graecae, quae hodie in vulgari noſtro ſermone quaſi ipſius Graeci ſermonis reliquiae paſſim a doctioribus obſeruantur ac notantur. Deinde monſtratur, vndenam effectum ſit, vt aliud poſtea Gallis idioma contigerit. Inſuper quibus cauſis linguae ipſius imitatio tribuenda ſit: et quantis mutationibus obnoxium fuerit tam Gallicum idioma, quam aut Latinorum, aut quoduis aliud.

Poſtremo recentiorum quorundam ſupercilia retunduntur, qui Gallos contumelioſe barbaros appellare non verentur, quum tamen infinitis paene annorum ſpatiis litteras prius habuerit Gallia, quam vel Graecia vel Italia: conſtetque, Italos plurimum et adiumenti et ornamenti a noſtris habuiſſe. Ceterum quam peruerſe faciant, qui barbariem iis obtrudant; qui nec litterarum, nec bellicae fortitudinis gloria illis vmquam fuerint inferiores, quin potius, ſi res propius examinetur, aliquanto ſuperiores.

En libri ſummam, lector, qui totus ad ineptam Gallicae doctrinae oſtentationem ac pompam compoſitus, nil niſi inania prodit, atque ſatis luculentum vaniloquentiae Gallicae teſtimonium exhibet. Initium operis auctoris ingenium ſcopumque libri ſtatim prodit, ex quo hominem eiusque doctrinam, tamquam ex vngue leonem, cognoſces.

„Scripturo de priſca Gallicae gentis, cuius vel ipſo litterarum „nomine praeſtantior laus eſt, quam vt vmquam intercidere debeat, „eruditionis excellentia et claritate, tot ac tantas, affluente vndi„que luculentiſſima virtutum prope omnium amplitudine, ſeſe mi„hi offerri video Iliadas, vt quidnam in tam vaſta rerum praeſtan„tiſſimarum ſilua primum perſequar, aut quo ſtili genere rem tan„tam tamque inexhauſti laboris opus aggrediar, omnino neſciam, „conſpiciamque haud minus arduum eſſe huiusce argumenti prin-

„cipium

„ cipium adinuenire, quam exitum: quum praeſertim, ſi verbis rei „ dignitatem conſequi velim, nihil non magnum et praeclarum, „ nihil non difficile et arduum, nihil non ſublime atque ſuſpicien„ dum occurrat. Neque enim vel de fumo, vel de aſini vmbra, „ quod aiunt, nobis ſuſcipiendus eſt ſermo, non incondita delira„ menta - - ſumus allaturi, ſed rem profecto apprime nobilem, in„ ſignem, illuſtrem, quae effuſiſſimas ſui cultoribus laudes confert, „ et cuius gratia homines ad parentum ac Deum prope vicem ho„ noris immodici titulo proſequimur.

Quando pag. 8. in cauſas inquirit, cur Galli laudes ſuas, litterarum nomine partas, iacere permiſerint, hoc magisne iniuria temporum, inquit, an ſcriptorum negligentia contigerit, vix habeo quid proferam. Pergit ibidem: ſed nec illos propterea, qui ante nos vixerunt, probe excuſandos cenſeo. Debuerunt enim, ſi non pro rei dignitate, quod certe fieri non potuiſſet, ſaltem pro ingenii viriumque captu ea attigiſſe, quae ad conſeruandam aliquam Gallici nominis memoriam faciebant.

Quae libro II. habet, ea ex BEROSO illo commentitio hauſta variis verborum ampullis exornare ſtudet. Huc pertinent ea, quae de Mago, Samothe, Dryio ſiue Druide, Namnio, Bardo, Longone, huius Bardi filio cet. profert. Cetera, quum noſtro minus ſcopo conuenientia ſint, omittimus.

II.

De Gallorum imperio et philoſophia libri ſeptem.

STEPHANO FORCATVLO *iurisconſulto authore. Pariſiis apud Guilielmum Chaudiere, via Iacobaea, ſub ſigno temporis, & hominis ſilueſtris. Cum privilegio regis.* 1579. 4. 5. alph.

ERat hic ST. FORCATVLVS *doctor iuris in acad. Tholoſana, et ordinis iuridici regens*, vti vocatur in priuilegio regis, libro addito. Quum ipſe auctor, morte praeuentus, ſuum opus publici iuris facere non potuerit, filio heredi per teſtamentum praecepit, ut Catharinae Mediceae, celeberrimi nominis principi, atque reginae tum temporis Gallicae, dicatum atque oblatum emitteret, quemadmodum ille teſtatur in dedicatione. Accipe, lector, editoris filii

 verba,

Digitized by Google

verba, e dedicatione excerpta, e quibus etiam ſcopum auctoris in hoc libro ſibi praefixum cognoſces.

„ Quoniam pro munere ſuo (pater) iuris ſcientiam Tholoſae „ publice per triginta annos magna ſatis cum approbatione inter-„ pretatus eſt, factum eſt ideo, vt rationem elegerit non modo „ oneri ſuo publico non contrariam, ſed etiam cordatis quibusque „ viris, nominisque Francici, domusque et Valeſiae et Mediceae „ amantiſſimis commendabilem. Proinde per quindecim continuos „ annos elaborauit, vt originem, imperium, doctrinamque, Gallis „ perpetuam illuſtraret, hiſtoriam arceſſens ab eo tempore, quo „ bellum Troianum dicitur contigiſſe, vt notum fieret, Francos ma-„ xime continuam ſeriem, vixque aut quam minimum interruptam „ regum omni virtutum genere excellentiſſimorum prae ſe ferre poſ-„ ſe, qui imperium latius circumduxerint, quam alius cuiuspiam „ regni gubernator; denique qui pro tempeſtate maxime puram in-„ tegramque doctrinam retinuerint. Quod vt probaret pater meus, „ antiquos quoslibet probatosque hiſtoriographos perlegit, vt prae-„ conium vnumquodque irrefragabili ſuo fulciretur teſtimonio. „ Quin etiam quum hoc ſuum tibi inſtitutum declaraſſet, chriſtia-„ niſſimo Carolo, filio tuo, tecum Tholoſam ingrediente, placuit im-„ perare, vt huic operi diligentiſſime finem imponeret. Quod pro „ virili exſequutus cet.

In ſeptem libros diſtributum opus, et ſplendide ſatis impreſ-ſum, nec capita nec lemmata in margine habet. Libri III. priores, *de Gallorum imperio et philoſophia*, vna cum V. et VI. inſcripti ſunt, IV. autem et VII. in fronte gerunt, *de Gallorum et domus Mediceae imperio et philoſophia.* Magnum auctor eruditionis et multifariae lectionis apparatum oſtendit, proinde multis ex rationibus, veriſſime iudicante SCHVRZFLEISCHIO, *diſſ. de Druid.* §. 5. PICARDO praeferendus; non tamen ab omni, eoque nimio, fabuloſae antiquitatis amore liber eſt, quod ex iis maxime patet, quae libro I. et ex parte etiam II. de vetuſtiſſimis Gallorum regibus, horumque regimine, ſapientia, et inſtitutis, ex BEROSO affert. Poſt factam Samothis et Magi mentionem, Saronem, regem pium atque doctrinae venerandum miraculo fol. 9. et 10. in ſcenam producit, qui parta pace, litterarium ludum ſcholasque totius regni, et orbis forte primas poſuerit. Fuit ille Saron, iuxta noſtrum, *rex academiae Gallicanae*

nae in Europa omnium cultiſſimae eruditiſſimus fundator. Fuit idem, a quo nominari coepere Saronides, theologi ac philoſophi; qui, maiorum ſuorum veſtigiis haerens, edocuit ſublimes diſciplinas, et iura dedit, citius quam Moſes quadragentis plus minus annis legem -- promulgaret; qui Syros eruditionis et induſtriae ſingularis viros ad ſe euocauit, et ſapienter diſciplinam eorum domi aemulatus eſt; qui prae reliquis viris eruditis augures et mathematicos in honore habuit.

Quae pag. 40. ſqq. de Druidibus affert, ea communia habet cum aliis, qui e veteribus de iis expoſuere. Reliqua hiſtorica in ſeqq. libris propoſita nos non tangunt.

III.

Hiſtoire de l' eſtat et republiques des Druides, Eubages, Sarronides, Bardes, Vacies, anciens François, gouverneurs des pais de la Gaule, depuis le deluge univerſel, iusques a la venue de Jeſus Chriſt en ce monde. Compris en deux livres, contenans leurs loix, police, ordonnances, tant en l' eſtat eccleſiaſtique, que ſeculier. Eſcrit nouvellement en François. A Paris chez Jean Parant, rüe S. Jacques; avec privilege du roy. 1585. 8.

NOn repetam, quae ex hoc F. N. TAILLEPIED opuſculo in *noſtra diſſertatione* pluribus excerpſi, ſed eum ſaltim in finem h. l. eius meminiſſe volo, vt aliquis inter ſcriptores de Druidis locus ipſi adſignetur. Vellem vt integrum libelli exemplum nanciſci ac legere mihi licuiſſet, quum, quod ego euolui, ab initio mutilum tribus prioribus plagulis careat, atque parte ſiue libro II. integro deſtitutum nihilominus quondam a poſſeſſore, tanti forſan hiatus neſcio, compactum fuerit. Ne tractationi noſtra aliquid deſit, agedum, excerpamus leges et mandata Druidum, quae CAESARI, STRABONI aliisque veteribus, et e recentioribus FR. PATRICIO memorata et illuſtrata in vnum corpus auctor noſter congeſſit, et patria h. e. Gallica lingua ſcriptas lectoribus ſuis p. 97. vsque ad 104. exhibet ſequentem in modum: „ Or a cauſe, qu'il eſt impoſſible de pou-„voir mettre toutes les loix des Gaules eu ce petit livre, ioint, „ que toutes ne ſont a ma cognoiſſance, ie reciterai ſeulement en

„ forme d' ediƈt, ce que j'ay peu recueillir des eſcrits de CESAR, „ STRABO, F. PATRICE, et autres, qui ont fait mention des Drui-„ des et de leur maniere de vivre en leurs derniers iours.

ORDONNANCES DES DRVIDES IVRISCONSVLTES.

S. P. Q. G.

COmme ainſi ſoit, que par grace divine ſoyons deleguez au gouvernement de tout le peuple, et que la charge totale nous en aye eſté delaiſſée, quant a l'exterieur, a fin que de noſtre part il ne ſurvienne aucune confuſion, par faute d'avertiſſement public. Nous, par meure deliberation, avec l' advis des Eubages, Vacies, Sarronides, nobles et autres du tiers eſtat, avons ordonné et ordonnons les articles cy deſſous declarez, pour eſtre inviolablement obſervez, a l'exemple de noz devanciers et autres de noſtre maniere de vivre, et ce, ſur peine des amendes y contenues, et de punition exemplaire.

I.

Si ſur toutes choſes devons avoir en recommandation l' honneur de celuy, qui nous a mis ſur terre, et que le devions recognoiſtre par ſacrifices propitiatoires et expiatoires, a fin qu'il luy plaiſe de ſa benigne grace, pardonner les pechez et offences, commis contre ſa majeſté divine, ordonnons, qu'on continuera les dits ſacrifices, qui feront offerts par les Vacies, ſacrificateurs ordonnez pour ceſt effeƈt. Faiſons neantmoins defences et inhibitions a tous les Gaulois, de n' offrir ni preſenter aux Dieux quelque ſacrifice, que ce ſoit, voire fuſt ſous eſpece de devotion particuliere, ou qu'on voulſiſt aller en bataille, ou qu' on en retournaſt viƈtorieux, n' eſtoit qu' il fuſt offert par l' un des dits Vacies philoſophes ſacrificateurs : car c'eſt choſe juſte & raiſonnable, que par les prieres et oraiſons des ceux, qui ſe ſont mancipez au ſervice divin, nous demandions des biens aux Dieux.

II. Et

II.

Et pour ce que nos anceſtres de long temps ont ordonné le ſacrifice ſolennel, eſtre faict tous les ans le jour premier de l'an, a fin qu' il plaiſe a la majeſté des Dieux, nous preſerver de nuiſance, ains nous donner le requis de nature, tout le long de l' année; voulons et ordonnons, que quand il aura eſté proclame a haute voix par les Druides Vacies, que chacun ſi trouve en toute pureté et chaſteté, laquelle pureté voulons auſſi eſtre perpetuellement obſervée par lesdits Vacies, comme ont faict de toute antiquité leurs predeceſſeurs.

III.

Si quelqu' un par ſon obſtination auroit eſté excommunié et chaſſé des ſacrifices, qu'il ne ſoit tant temeraire de ſi preſenter, ny meſme d' aſſiſter devant nous, pour demander ſon droict de quelque cas, que premierement ne ſe ſoit reconcilié et ſatisfaict a partie: car tel voulons eſtre fuy de tout le peuple, tant par eau que par feu, jusques a tant qu' il ſe recognoiſſe.

IV.

Nous ordonnons pareillement, que chacun aſſiſte au ſermon, qui ſera faict par l'un des Vacies, a fin d'entendre la doctrine de la religion. Et ſi durant le ſermon il y a qui caquette et babille, nous voulons, que par le Bideau ou correcteur, qui portera l'eſpée toute nüe en ſigne de menaces, luy ſoit couppé un grand lambeau de ſe monteau. Et ſi, pour ſeconde et troiſieſme fois, il ne ſe veut taire, eſtant adverty, qu' on luy en coupe une ſi grande quantité, que ſon habillement ne ſoit difforme, et ne ſ'en puiſſe ſervir. Le ſemblable voulons eſtre fait en nos aſſemblées par les ſergeans, quand ils voirront quelques uns, qui ne feront ſilence.

V.

Nous deffendons a toutes perſonnes de quelconque qualité qu' ils ſoient, de diſputer de la religion, et encores moins des affaires de la republique, ſi non au lieu public et determiné par ceux, a qui il appartient.

VI.

Si quelque citoyen oit dire aux voiſins, par bruit commun, ou autrement par quelconque maniere que ce ſoit, quelque choſe de la

republique, ſoit tenu ſur peine de punition et de amande arbitraire, reporter viſtiment les nouvelles aux gouverneurs et eſchevins des villes.

VII.

Outreplus, nous prohibons et defendons, que nul ſoit ſi hardy de communiquer, reveler ou publier les affaires de ce royaume aux eſtrangers.

VIII.

Quand pour ſçavoir les choſes advanturieres et fatales par les Eubages, pour en decider par le regard des inteſtins et autres obſervations a ce requiſes, nous n' entendons qu'ils prennent autres corps humains, que celuy qui ſeroit arrivé le dernier d' entre eux au lieu determiné: n' eſtoit que de par nous y eut eſté adviſé autrement.

IX.

Et pour autant que nous cognoiſſons le grand proffit, qui advient en ce païs de Gaule par la doctrine des Eubages, Vacies, Bardes et Sarronides, par meure deliberation les avons exemptez et exemptons de payer tributs, daces, impoſts, tributs et ſubſides quelconques, meſme d' aller en guerre.

X.

Et a raiſon que pour joüir de ces privileges, pluſieurs ſe vouldroient rendre au nombre des ſuſdits, nous deffendons expreſſement, que nul cy apres ſoit receu, ſans avoir eſté exactemeut examiné et de pres, par le recit de diverſes leçons non eſcrites, qui contiennent plus de mil clauſes et peryodes.

XI.

Nul auſi ſoit receu pour preſider en juſtice, s' il n' a la cheuelure tant du chef que de la barbe, griſe et apparente, qui demonſtre la preud homie de cil qu' on reçoit: et qu' il ſoit veſtu de veſtemens honorables et accouſtumez, ainſi qu' il appartient: ce que voulons auſſi eſtre garde en tous eſtats, qu' un chacun ſoit veſtu ſelon ſa qualité.

XII.

XII.

L' eſtandue de ce Royaume ne permettant, que puiſſions aſſiſter perſonnellement en chaſque village, concedons par ces preſentes plain pouvoir et puiſſance au peuple, d' eſlire un maire viguier pour ouir les premieres doleances des parties, leſquelles fidelement nous ſeront rapportées pour en juger, ſi l' inthymé et l' agent ne peuvent ſ' accorder, devant ledit viguier. Octroyons auſſi et permettons pour les querelles particuliers et paroles injurieuſes, que les femmes pourront et ſeront conſtituées juges et arbitres, et ce qui ſera arreſté par elles, tenons et jugeons pour juge et arreſté.

XIII.

Quant a l' eſtat de marchandiſe, duquel pluſieur ſe meſlent, nous n' entendons que les marchandiſes ſoient portés hors de ce royaume, ſans conge et licence ſpeciale obtenüe de nous: meſme inhibons et defendons a tous marchands, tant eſtrangers que regnicoles, d' apporter par deça aucunes marchandiſes, qui puiſſent provoquer les hommes a eſtre effeminez et delicats.

XIIII.

Pour donner ordre entre les pauvres et riches, voulons qu'en toutes les villes y aye un hoſpital pour heberger et loger les ſouffreteux et malades, ou ils ſeront nourriz du bien public. Que ſi quelqu' un d' oreſnavant eſt accuſé et apprehendé en quelque larrecin, ordonnons qu' il ſoit adjugé et condamne aux ſacrifices de Mercure.

XV.

Et pource que l' uſure eſt une eſpece de larrecin, nous la prohibons et deffendons eſtroittement en ce royamme. Que ſ' il eſt queſtion de preſter argent a quelque pauvre indigent, nous n' entendons que le dit prenant ſ' oblige a payer pluſtoſt qu' en l' autre monde.

XVI.

A fin, qu' il n' y ait plus de procez pour le douaire des femmes, nous n' entendons plus qu' ils en reçoivent, n' eſtoit que l' homme en receut autant de ſa part, que la femme en demanderoit. Si l' une

Digitized by Google

l' une des parties decede, l' autre joüira des fruićts et revenus, qui ſeroient iſſus du dit douaire.

XVII.

Jusques à preſent on a obſervé ceſte couſtume, que les hommes ayent pleine puiſſance ſur leurs femmes, voir de les chaſtier ſi elles defaillent. Et pour ce qu' il eſt advenu que quelques unes ont fait mourir leurs marys: a fin de mettre ordre en ces venefices, nous ordonnons, que la femme accuſée d' avoir empoiſonné ſon mary, le faićt bien aueré, ſoit bruſleé par les parens de ſon mary, ou tourmentée d' autre peine, ſelon l' exigence du delićt.

XVIII.

Pour les grands accidents, qui adviennent des ieunes enfans, qu' on nourrit en la maiſon paternelle trop delicatement, a fin de pourveoir au profit de la republique, nous n' entendons qu' aucun, qui aura eſté ainſi nourry mignardement, puiſſe avoir quelque office publique en la dite republique, ains par certain temoignage on ſoit aſſeuré, que le promeu, aye eſté nourry aux champs, l' eſpace de vingt ans pour le moins.

XIX.

Et quand ces ieunes enfans rentrent en la maiſon de leur peres, apprennent de vivre tant ſobrement, qu' on eſtime d' eux que choſe bonne pour l' advenir. Meſmes, ſi quelqu' un au deſſous de l' aage de vingt cinq ans, eſt trouvé avoir le ventre tant gros, qu' il excede la meſure et groſſeur accouſtumée, nous voulons et ordonnons qu' il ſoit tué et mis a mort pour l' offence de gaſtrimargie.

XX.

La couſtume eſtant en ce royaume d' enſevelir les corps des morts, et avec eux mettre en la terre ou dedans le feu, ce qu' ils ont le plus aymé en ce monde: nous permettons a ceux, qui ſe voudroient mettre par devotion dedans le feu ou en la foſſe avec le corps mort, qu' ils ſ' y puiſſent mettre, ſecluſe toute fraude et deception.

BEBE-

Digitized by Google

BEBELIVS (IVST.) de laudibus et philoſophia veterum Germanorum, Argent. 1514. 4.

Excitatus b. GVNDLINGIO *hiſtor. philoſ. moral. pag.* 115. nobis numquam viſus.

BVCHERIVS (AEGID.) Belgio Romano lib. V. cap. III. et IV. ſupra a nobis exhibitis pag. 165-184. it. cap. XI. fol. 175. et lib. VI. cap. XIV. fol. 211.

BVLAEVS (CAES. EGASSIVS) hiſtoria veterum academiarum Druidicarum, tomo I. hiſtoria academiae Pariſienſis praemiſſa, et ſupra a nobis addita pag. 139-165.

DICKINSONVS (EDMVND.) de origine Druidum, * ad calcem Delphor. Phoenicizantium, in CRENII faſcic. diſſertationum hiſtorico-critico-philologicar. pag. 185. ſqq.

* Libelli huius auctorem HENR. IACOB fuiſſe tradit b. H. L. BENTHEM *im Engeländiſchen Kirch- und Schulen-Staat pag.* 1162. *edit.* b. MENZERI, vt huius proinde viri araſſe vitulo DICKINSONVM appareat. Conf. IONSIVM *de ſcriptor. hiſtor. philoſoph. lib.* III. *cap.* XXXII. *§. 6. pag.* 189. *edit.* DORNII.

EYRINGIVS (M. EL. MART.) diſſert. de Druidis.

Citatum hunc DOEDERLINO, inueſtigare nullibi, nedum videre mihi contigit. Ita b. FRATER. At enimuero ſuſpicor non alium eſſe, quam qui in diſſertatione C. S. SCHVRZFLEISCHII reſpondentis munere functus eſt, et forte non omnino nullas huius opellae partes ſibi vindicare potuit, vt non raro in eiusmodi diſputationibus fieri ſolet. Confirmat me in ſententia vitae deſcriptio b. EYRINGII nuper in *actis hiſtor. eccleſiaſt. part.* XXXII. exhibita, vbi *pag.* 257. idem innui mihi videtur.

le FEVRE (IEAN) les fleurs et antiquitez des Gaules, ou il eſt traité des anciens philoſophes Gaulois, appellez Druides. Pariſ. 1532. 8.

FORCATVLVS (STEPH.) de Gallorum imperio et philoſophia.

Vide ſupra pag. 201. it. *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache, Poeſie und Beredſamkeit, vol.* I. *pag.* 328.

FREY (IAN. CAECIL.) philoſophia Druidum, Paris. 1640. 8.

Vide *Beyträge l. c. pag.* 329. et KEYSLERI *antiquitates ſeptentr. et Celtic. pag.* 446. (m)

GVENEBAVLD (M. I.) le reveil de l'antique tombeau de Chyndonax, Prince des Vacies, Druides, Celtiques, Dijonnois, avec la

Digitized by Google

diverſité des ceremonies obſervées aux ſepultures anciennes. a Dijon 1621. 4.

Vide ſupra LESCALOPERIVM *cap.* XXXII. *pag.* 131. *ſqq.*

HASAEVS (THEOD.) diſſert. de etymo vocis Druidum, quae decima eſt in ſylloge diſſertationum et obſeruationum philologicarum, poſt eius obitum a cel. NIC. NONNEN edita Brem. 1731. 8. pag. 609. ſqq. legenda.

HEYMANN (M. CHRIST.) *Kurtz-gefaſste Geſchichte der vornehmſten Geſellſchafften der Gelehrten, von den älteſten Zeiten an bis jezo,* vol. I. part. III. cap. VIII. pag. 175-233.

KEYSLERVS (IO. GEORG.) antiquitat. ſelect. ſeptentrional. et Celtic. Hanouer. 1720. 8.

Opus eruditiſſimum, ad illuſtrationem antiquitatum Druidicarum quam plurima continens, e quo etiam in commentationem noſtram multa cum fructu excerpſimus. Ceterum legenda de illo *acta eruditorum Lipſ. ann.* 1721. *pag.* 162. *ſqq.* itemque *acta erud. Germanica*, P. LXXI. *vol.* VI. *pag.* 1004. *ſqq.*

LAGERLOEFFIVS (PETR.) diatribe de Druidis, Vpſaliae 1689. 8.

Vide *Beyträge l. c. pag.* 336. *Holmiae*, forma quadripartita prodiiſſe vult IONSIVS *de ſcript. hiſt. phil. lib.* III. *cap.* XXXIV. §. 6. *pag. m.* 191.

LESCALOPERIVS (PETR.) theologia veterum Gallorum, commentario eius in CICERONIS libros de natura Deorum ſubiuncta, Pariſ. 1660. fol.

Exhibemus eam tibi, lector, integram, ob raritatem recuſam, ſupra *parte* II. *pag.* 86-138.

MARTIN (IACQ.) la religion des Gaulois, tirée de plus pures ſources de l'antiquité. a Paris 1727. II. Voll. 4.

Vide, quae de eo annotauimus ſupra *prolegom.* §. XI. *pag.* 21. *ſq.*

OBRECHTVS (VLRIC.) exercit. de philoſophia Celtica, reſpondente *Ioan. Caſp. Khunio* habita Argentor. 1676. 4.

Vide GVNDLINGII *hiſtor. philoſ. moral. pag.* 58. Recuſa deinceps eſt in *academicis* illuſtris viri *opuſculis*, *iunctim* laudati KHVNII induſtria *editis*, *pag.* 270. *ſqq.*

PICARDVS (IOAN.) *Toutrerian.* de priſca Celtopaedia.

Vide ſupra *pag.* 199. it. *Beyträge* cet. *l. c. pag.* 327. Erat PICARDVS hic Bellouaco oriundus, et Canonici regul. S. Victoris munere Pariſiis functus, obiit 1617. Idem et editor GVIL. NEVBRIGENSIS; cetera non confundendus cum IOAN. PICCARTO, primo theologiae profeſſore Altorffino, 1584. defuncto; quod fere factum videtur a celeb. BV-

DERO

DERO *bibliotb. ſcriptor. rerum Germ.* §. X. conf. GVNDLINGII *colleg. hiſtor. litter. pag.* 418. *ſeq.*

PVFENDORFIVS (ESAI.) diſſert. de Druidibus, Lipſ. 1650.

Digniſſima erat haec diſſertatio, quam cum reliquis eiusdem illuſtris viri *opuſculis* recudendam curaret vir itidem illuſtris IO. PETRVS a LVDEWIG, nuper demum defunctus, *Halae* 1699. 8. Vid. GVNDLINGII *biſt. philoſ. moral. pag.* 58. it. *Beyträge l. c. pag.* 330. et IONSIVS *lib.* III. *c.* XXX. §. X. *p. m.* 173.

RAMVS (PETR.) de moribus veterum Gallorum lib. ad Carolum Lotharingum Cardinalem, Paris. 1559. 8.

Lege die *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache* cet. *l. c. pag.* 327. *ſq.* Sunt et ad manus noſtras ex libro illo excerpta, e quibus non ineleganter verſatum in re iſta RAMVM fuiſſe patet.

SCHARFIVS (IO. FRID.) de Gallorum Druidis.

Titulus libelli huius academici ſic habet: *Dei ope! Meletema hiſtoricum de Gallorum Druidis ventilandum ſub moderamine* M. IO. FRID. SCHARFII, P. P. OTTO RAHN *Stetinenſis ad d. IX. menſ. Xbr.* H. L. Q. C. *Wittebergae litteris Iohannis Haken.* Habuit hanc diſſertationem, perinde vt nos, in manibus b. REIMMANNVS, atque non modo legit et excerpſit, ſed etiam cum illa PVFENDORFII ſtudioſe contulit, atque plagii reum poſtremum e priore egit. Qua quidem in re vt facilius longe, immo et felicius, eruditis SOCIETATIS TEVTONICAE LIPSIENSIS ſodalibus, quam celeb. REIMMANNO adſtipulari me poſſe credo, ita confirmari mihi exinde in iſta ſententia luculenter admodum videor, quod ſine anni mentione facta in lucem ediderit SCHARFIVS diatriben ſuam, eo forte conſilio, vt ſi fraus plagii aliquando detegatur eo incertior reddatur lector, cui illa attribuenda ſit; vti etiam REIMMANNO euenit. Vide eius *ideam ſyſtematis antiquitatis litterariae pag.* 7. *ſqq.* et *die Beyträge zur crit. Hiſt. der D. S. l. c. pag.* 331. *ſq.* Ceterum quum ex litteris illis P. P. nomini SCHARFII ſubiectis, *academiae Wittebergenſis profeſſorem publ.* effingat REIMMANNVS, (SCHOPFIVM vitioſe IONSIVS *lib.* III. *cap.* XXXVI. §. 23. *p. m.* 211. et Lipſienſem prof. vocat cel. BVDERVS *l. c. fol.* 23.) equidem litteras iſtas interpretari mallem in ſequentem modum: *ſub moderam.* M. I. F. S. *publice proponit* O. R. vt adeoque, ſi vel abſoluendus a plagii crimine SCHARFIVS ſit praeſes, reſpondens tamen eiusdem reus agi poſſit, qui forte, vt fucum faceret patronis ſuis, confeſtim vt fieri interdum ſolet, illud ſpeciale de Druidis Gallorum meletema ex PVFENDORFII ampliori commentatione, de Druidis, et generaliori, mutatis breuiuſcule aliquibus effuratus eſt, atque quaſi proprium laborem ſuum SCHARFIO ſecum defendendum publice commiſit. Interim per me ſalua ſit ſua vnicuique gloria; et aequi rerum arbitri de hac hariolatione, vt aequum videbitur, iudicent.

Digitized by Google

SCHEDIVS (ELIAS) de Diis Germanis, ſyngr. in primis II. cum luculentis et copioſis IOAN. IARKII obſeruationibus, Halae 1728. 8.

SMITH (THOM.) ſyntagm. de Druidum moribus et inſtitutis, Londin. 1644. 8.

Vide *die Beyträge l. c. pag.* 330.

SCHVRZFLEISCHIO (CONR. SAM.) praeſide, veterum inſtituta Druidum excutiet M. ELIAS MART. EYRINGIVS. Viteberg. d. Iul. ann. 1697. 4.

Relata fuit deinceps poſt biennium haec diſſertatio inter SCHVRZFLEISCHII *opera hiſtorica politica*, *Berolini* iunctim *edita*, in quibus locum LVI. occupat *pag.* 822. *ſqq.* legenda. Conf. etiam de illa *die Beyträge l. c. pag.* 336. *ſq.* et IONSIVS *lib.* III. *cap.* XXXVI. §. 23. *p. m.* 211. et quae antea ſub EYRINGII nomine monuimus.

TAILLEPIED (P. F. NOEL) hiſtoire de l'eſtat et republique des Druides, cet. Vide ſupra *pag.* 202. *ſqq.*

TOLAND (IOHN) a ſpecimen of the critical hiſtory of the Celtic religion and learning: containing *an account of the Druids*, or the Prieſts and Iudges; of the *Vaids*, or the Diuiners and Phyſicians; and of the *Bards*, or the Poets and Heralds of the antient Gauls, Britons, Iriſh, and Scots.

Vide ACTA ERVDITORVM LIPSIENSIA *ad ann.* 1729. *pag.* 356. *ſqq.* et poſt illa *die Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache* cet. *l. c. pag.* 338. *ſqq.* Spes erat, virum illuſtrem, et de re litteraria, exemplo patrum, eximie promeritum FRID. OTTON. MENCKENIVM, Latine redditas has TOLANDI litteras eruditae ciuitati eſſe exhibiturum, qua quidem re procul dubio non plauſum modo, ſed et gratiam doctorum, vt reliquis ſuis omnibus, meruiſſet. Et eſt certe in manibus noſtris ſchedula excellentis viri αὐτόγραφος ad b. LOTTERVM familiariter ſcripta, qua, quum prodiiſſe b. FRATRIS de Druidis commentationem accepiſſet, amice illum rogat, vt exemplum eius Vlma aſportandum curare velit, ſibi forte in verſione operis TOLANDINI, quod ſub manibus habere ſe ait, profuturum, quod etiam factum. Iam exacto tot annorum interuallo ſpes fere decollat, quum ex illo tempore aliis curam eruditam impenderit laboribus MENCKENIVS illuſtris; et, ſi recte memini, ipſe ex ore illius ante aliquot annos Lipſiae audiui, ſe conſilium iſtud plane abiecisse. Itaque fortaſſis vanus iam fuerim nulliusque auctoritatis monitor publicus, qui ad illud iterum ineundum virum celeberrimum denuo excitare cuperem; quam-

quamuis eruditorum longe plurimi iacturam tam egregii operis mecum iure meritoque dolebunt.

His adhuc adiungendum videtur, quod iam ante aliquot annos relatum nobis eſt in *neuen Zeitungen von gelehrten Sachen ad ann.* 1737. *pag.* 357. *et* 707. *ſq.* virum munere et canitie venerabilem clariſſimumque PAVLLVM SCHAVDIGIVM, *paſtorem eccleſiae Taubacenſis*, prope Waſſertrüdingam in Marchionatu Onoldino, *hiſtoriam Druidicam* ſummo ſtudio elaboraſſe, eamque ad ſumtus typorum faciendos bibliopolis obtuliſſe, cuius et ibidem breuis delineatio exhibetur; quae tamen, quantum nobis conſtat, lucem adhuc nondum vidit.

Pari ratione eadem *noua litteraria ad ann.* 1739. *pag.* 511. ſignificant, virum ſumme reuer. ac celeb. IO. GERH. MEVSCHENIVM, nuper demum mortalibus exemtum, plurimi ſtudii ac laboris opus, *hiſtoriam ſacram veterum Germanorum*, quam proxime prelo eſſe commiſſurum; e quo procul dubio et his noſtris antiquitatibus Druidicis non parum lucis accedere debuit. Sed et hanc hiſtoriam, aeque vt illam Druidarum SCHAVDIGII adhuc exſpectamus; vtraque vero vt tandem publici iuris fiat, votis conceptiſſimis exoptamus.

CLASSIS III.

Scriptores, qui DRVIDARVM antiquitates paſſim illuſtrarunt, proponens.

ABEL (CASP.) in *in Teutſch- und Sächſiſchen Altertbümern, Braunſchweig* 1729. 8.

ACTA ERVDITORVM plurimis locis. Vide *indices generales.*

AIMOINVS monachus praefat. in geſta Francorum p. 8.

ALCIPHRON ou le petit philoſopher. tom. I. pag. 287.

ALFRICVS gloſſaria Saxonico-Latino.

AB ALEXANDRO (ALEXANDER) dierum genial. lib. III. cap. V. et XXIV. lib. IV. c. XIII. et lib. VI. c. XXVI.

ALSTEDIVS (IO. HENR.) chronic. ſcholaſtic. cap. XXX. pag. 205. it. encyclopaed. tom. I. pag. 103. et tom. IV. pag. 56.

Digitized by Google

ALTHAMMERVS (ANDR.) ſcholiis in Taciti de moribus Germanorum libellum, Noriberg. 1529. et apud SCHARDIVM *tomo* I. *ſcriptorum rerum Germ.*

ALTINGIVS (MENSON.) notitia German. inferior. vid. NEOCORI *bibliotb. nou. tom.* I. *pag.* 160. *ſq.*

ARNGRIMVS (IONAS) de rebus Islandicis.

ARNKIEL (TROGILL.) *von der Cimbriſchen Heyden-Religion* P. I. paſſim, inpr. cap. XXXII. pag. 257. ſqq.

ARPE (PETR. FRID.) feriis aeſtiualibus pag. 383.

AVENTINVS (IOAN.) annal. Boior. lib. I. fol. 22. b. *edit. Germ. Francof.* 1580. it. lib. II. cap. VI.

AYRMANNVS (CHR. FRID.) diſſ. de origine et incrementis cultus idololatrici vett. Germanor. Gieſſ. 1727. 4.

BALVZIVS (STEPH.) Capitular. regum Francor. tom. I. pag. 150. ſqq.

BARONIVS (CAES.) annal. eccleſiaſt. tom. I. ad ann. Chr. LVII. num. 35.

BARTHOLINVS (RICH.) Auſtriados lib. I. p. 488. et p. 497. ap. REVBERVM.

BARTHOLINVS (THOM.) antiquitat. Danic. ſeu de cauſis contemtae a Danis adhuc gentilibus mortis, Hafniae 1689.

BASINSTOCHIVS (RICARD. VIT.) hiſtoriar. lib. I. pag. 15-18. et ſubiunct. not. pag. 65-74. cet.

BECANVS (IO. GOROP.) Francicis et Gallicis lib. I. Antuerp. 1580. fol.

BECMANNVS (IO. CHRISTOPH.) hiſtoria Anhaltina.

BEDA venerab. hiſtoria eccleſ. gentis Anglorum lib. I. cap. II. fol. 4. *edit. Antuerp.* 1550.

BERGERVS (IO. GVIL.) diſſ. ad Tacit. de M. G. cap. XIX. ſub tit. priſcus Germanus non illitteratus, Witteb. 1722.

BERNARD (M. DAVID) progr. de ſtatu mortuorum ex mente veterum Druidum ad Lucani lib. I. verſ. 404. ſq. Lipſ. 1732. 4. vid. ACTA ACADEMICA tom. I. pag. 57.

BEROSVS antiquitat. cum commentar. ANNII VITERB. pag. 55.

BERTIVS (PETR.) commentar. rerum Germanicar. lib. III. Amſt. 1632. 4.

BEYTRAEGE (Critiſche) zur Hiſtorie der Deutſchen Sprache, Poeſie und Beredſamkeit, tom. I. pag. 323. ſqq. it. pag. 363.

BIBLIO-

BIBLIOTHEQVE ANGLOISE tom. XI. pag. 261.

BIBLIOTHEQVE BRITANNIQVE tom. III. pag. 6. 7. 36.

BOCHARTVS (SAM.) Chanaan, lib. I. cap. 42. pag. 666. ſq. opp.

BOETHIVS (HECT.) deſcript. regni Scot. pag. 2. lin. 70. et pag. 8. lin. 42. cet. ap. SAVBERTVM *de ſacrificiis p.* 155.

BOSIVS (IO. ANDR.) opuſcul. hiſtor. pag. 521. edit. cel. WALCHII.

BOTHONIS (CONR.) Chronicon Brunſuic. ap. LEIBNITIVM *ſcript. rerum Brunſuic. tom.* III.

BOXHORNIVS (MARC. ZVER.) origin. Gallic. (Amſt. 1654. 4.) cap. III. pag. 18. 51.

BROWERVS (CHRIST.) antiquitat. Treuirenſ. paſſim, inprimis proparaſceues tom. I. c. XI. p. 27.

BRVCKERVS (IAC.) Kurze Fragen aus der philoſophiſchen Hiſtorie tom. I. p. 190. ſqq. tom. II. pag. 871. ſq. it. Zuſäze pag. 81 - 96. it. hiſtoria critica philoſophiae, opere maiori prorſus eximio tom. I.

BVCHANANVS (GEORG.) rerum Scoticarum lib. II.

BVDDEVS (IO. FRANC.) compend. hiſtoriae philoſophicae pag. 84. ſq. it. hiſtoria eccleſiaſt. V. T. tom. I. pag. 183. it. analect. hiſtor. philoſ. pag. 43. ſqq. it. iſagoge hiſt. theol. pag. 922.

BVDERVS (CHRISTIAN. GOTTLIEB) bibliotheca ſcriptorum rerum Germanicarum, corpori hiſtoriae Germanicae STRVVIANO praemiſſa. §. II. ſqq.

DE BVNAV (HENR. DN.) Teutſche Kayſer - und Reichs - Hiſtorie tom. I. pag. 53. 63. 66. 625. ſq. 628. 630. et alibi.

BVRCKHARDVS (IAC.) de fatis linguae Lat. in Germania part. II. pag. 13. ſq.

BVRNETIVS (THOM.) archaeolog. philoſ. cap. II. p. m. 340. ſqq.

CALVOER (CASP.) vet. Saxonia infer. gentil. et chriſtiana part. I. lib. II. cap. III. p. 65. ſqq. pag. 90. §. 208. et pag. 92. §. 216.

CAMBDENVS (GVIL.) Britannia pag. 9. 10. 35. 540. et 546. *edit. Londin.* 1607.

CANNEGIETER (H.) diff. de Brittenburgo, pag. 25. ſq.

CAPPIDVS STAVRIENSIS Friſ. antiquitat. ſcriptor. vetuſtior, ſed qui in fabulas propendet.

CAVE (GVIL.) antiquitat. apoſtolic. pag. m. 22.

CASTIL-

CASTILLIONEVS (BONAV.) de Gallorum Inſubrum antiquis ſedibus ap. GRAEVIVM theſ. antiqq. et hiſtoriarum Italiae tom. I.
CELLARIVS (CHRIST.) geographia antiqua tom. I. p. m. 163. ſq. et diſſertatt. variis.
CELTES (CONR.) de Hercynia ſilua pag. 743. et 745. it. poemat. de ſitu et moribus German. apud SCHARDIVM tom. I. it. deſcript. Noribergae apud BILIBALD. PIRCKHEIMERVM opp. fol. 123.
CHASSANAEVS (BARTHOL.) catalog. gloriae mundi, pag. 559. ſqq.
CLERICVS (DAN.) hiſtor. medicin. Gall. lib. I. cap. IX. p. 27.
CLVVERIVS (PHIL.) Germania antiq. lib. I. cap. XXII. ſqq.
COLBERGIVS (EHREGOTT DAN.) monarchia Sueo Gothica pag. 28.
CONRINGIVS (HERM.) de finibus imperii German. opp. tom. I. it. de iudiciis reipubl. German. tom. II. pag. 866. §. 9. it. animaduerſion. in Machiavelli principem, ibid. pag. 989. it. collect. monumentorum veterum de antiquo ſtatu Germaniae, de antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii et viciniae tom. V. it. de ſcriptoribus XVI. poſt C. N. ſaeculorum cum not. b. GOTTL. KRANTZII cap. II. §. 28. ſq. tom. V. pag. 772. ſqq. it. de origine iuris German. cap. I. opp. tom. VI. pag. 77-213. it. pag. 634.
la CROIX du MAINE (FRANC.) bibliotheque du France.
CRVSIVS (MART.) annal. Sueuic.
CVDWORTHVS (RADVLPH.) ſyſtem. intellectual. vniuerſi, pag. 13. (6.) it. pag. 45. ſqq. it. pag. 567. ſq. cum obſeruatt. ſumme reuer. MOSHEMII.
DAIVS (IO.) vel, vt alii, FOXVS (IO.) de antiquitat. Britannic. eccleſ. pag. 4. edit. Hanou. 1605. fol.
DAVISIVS dictionar. Cambro-Britannic.
DILHERRVS (IO. MICH.) commentat. de hiſtoria priſcae Germaniae, Francof. 1718. 8.
DISSERTATIONS HISTORIQVES ſur divers ſujets d'antiquité. Paris 1808. 8. vid. *biblioth. Mencken. pag.* 460.
DITHMARVS (IVST. CHRISTOPH.) ſylloge diſſertatt. academicar. pag. 323. ſqq. et inpr. ad TACITVM de mor. Germ.
DOEDERLEIN (IO. ALEX.) antiquitat. gentiliſmi Nordgauienſ. plurimis in locis, inpr. pag. 55. ſqq.
DOMINICVS (M. ANT.) diſſert. de Treuga et pace; citat. DICKINSONO p. m. 188.

DVPLEIX

DVPLEIX (SCIP.) Memoires des Gaules depuis le deluge jusques a l' etabliſſement de la monarchie Françoiſe. Paris 1634. fol. lib. I. cap. XVI. cet.

ECCARDVS (IO. GEORG.) praefat. ad hiſtoriam ſtudii etymologici LEIBNITII. Hanouer 1711. 8. it. Legib. Francorum Salicis illuſtratis. it. Franciae orientalis tom. I. pag. 406. ſqq 417. ſq. 428. et alibi.

EGENOLFFVS (IO. AVG.) hiſtor. der teutſchen Sprache part. II. pag. 192. it. 204. 207. ſqq.

EMMIVS (VBBO) rerum Friſicarum hiſtoria. Lugd. Bat. 1616. fol.

ESCHENBACHIVS (ANDR. CHRIST.) diſſertat. academic. III. Norimb. 1705. 8. it. Epigene, ſ. de poeſi Orphica pag. 66. et 112. ſqq.

EXPLICATION de pluſieurs textes difficiles de l' ecriture ſainte tom. I. pag. 109.

FABRETTVS (CHRIST. AVG.) diſquiſit. an Germani Caeſaris Tacitique temporibus Druides habuerint? inſerta *bibliotb. Lubecenſ. tom.* III. *pag.* 24. *ſqq.*

FABRICIVS (GE.) Saxonia illuſtrata. Lipſ. 1606. 09.

FABRICIVS (IO. ALB.) hydrotheologia pag. 322. ſq. it. ſyllab. ſcriptor. de veritate relig. chriſt. pag. 714. ſq. it. biblioth. Lat. mediae ac infimae aetatis tom. III. lib. VIII. pag. 903.

de FALCKENSTEIN (HENR. DN.) antiquitat. Nordgauienſ. tom. I. fol. 109. et paſſim alibi.

FAVCHET (CLAVD) antiquites Gauloiſes. Paris. 1610. 4.

FELLERVS (IOACH. FRID.) monument. ineditis; itemq. Leibnitian.

FICINVS (MARSIL.) de religione chriſtiana cap. X.

FRAENCKISCHE ACTA ERVDITORVM part. X. pag. 501.

FRENCELIVS (ABRAH.) diſſertat. de idolis Slauorum, apud C. G. HOFMANNVM *ſcriptor. rer. Luſat. tom.* II. *fol.* 64.

DV FRESNE (CAROL.) DN. DV CANGE gloſſar. ad ſcriptores mediae et infimae Latinitatis, voc. *arbor.* it. fol. 200. ſqq. *edit. Francof. ad Moen.* 1710. *fol.* vbi plurima erudite curioſa.

a FÜRSTENBERG (FERD.) monumenta Paderbornenſia Amſt. 1672. 4. circa fin.

DE GAILLARD (P. DROIT) methode de lire l' hiſtoire. Paris 1579. 8. pag. 559.

GALE (THEOPH.) philoſophia generali P. I. lib. I. cap. VI.

Digitized by Google

GALESIVS (IO.) ap. MENAGIVM in obſeruat. ad LAERT. pag. 3.4.
GESNERVS (CONR.) Mithridate polyglotto cap. II. alibique.
GENSIVS (IAC) de victima humana Groning. 1675. 12.
GOSSELINVS (ANT.) hiſtor. veter. Gallorum P. I. cap. 35. vid. de eo BAYLE *dictionnaire tom.* II *fol.* 627. *ed.* cel. GOTTSCHEDII.
GROTIVS (HVGO) indice nominum propriorum Gotthicorum, hiſtoriae Gotthorum, Vandalorum et Langobardor. a ſe congeſtae, ſubiecto pag. 588. it. de veritate relig. chriſtian. pag. 79. ſq.
GVILLIMANNVS (FRANC.) de rebus Heluetiorum lib. I. cap. V. pag. 20. *edit.* GVNDLING.
GVNDLINGIVS (NIC. HIER.) hiſtoria philoſophiae moralis cap. VI. pag. 44. 59. et 115.
GVRTLERVS (NIC.) origin. mundi lib. I. cap. XIX. §. 24. ſq.
GYRALDVS (LIL. GREG.) operum tom. II. pag. 34. ſq.
HACHENBERGIVS (PAVLL.) Germania media pag. 289. locisque aliis multo pluribus.
HAGELGANS (IO. HENR.) diſſert. de priſca Germanorum aetate Coburg. 1635. 12.
HALTAVS (CHR. GOTTL.) calendar. medii aeui praecipue Germanorum pag. 142.
HAMCONIVS (MART.) Friſia, ſeu de viris rebusque Friſiae illuſtribus; ex quo praefectos Druidum apud Friſios hac ipſa parte II. libelli noſtri exhibemus ſupra pag. 187. ſqq.
HARENBERGIVS (I. C.) idea iuris diuini, quod theologor. eſt in conuincendo et refutando pag. 12.
HECHTIVS (GODOFR.) Germania ſacra et litterata, paſſim. Vitemb. 1717. 8.
HEIDEGGERVS (IO. HENR.) hiſtoria patriarcharum part. I. exercit. XIX. p. m. 582. ſqq.
HEINECCIVS (IO. MICH.) diſſertat. de Crodone; vbi de phyſica Germanorum theologia; ap. LEVCKFELDIVM collect. ſcriptor. rerum Germ.
HEISEN (HENR.) oratione auſpicali de eloquentia veterum Germanorum, pag. 117. ſqq. e quo hunc ipſum ſcriptorum de Druidis catalogum plurimis adauximus. Vide de eo *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache, Poeſie und Beredſamkeit Vol.* II. *pag.* 627. ſqq.

HER-

HERTIVS (IO. NIC.) notitia veteris Germaniae populorum, ſeu diſſert. ad primordia iuris publ. German. pertinent. Gieſſae-Haſſor. 1709. hab.

HEVMANNVS (CHR. AVG.) poeciles tom. I. pag. 636. ſq.

HEVRNIVS (OTTO) antiquit. philoſoph. barbar. lib. II. cap. 32.

HINCKELMANNVS (ABRAH.) deteƈt. fundament Boehmiani p. 90.

HISTOIRE CRITIQVE de l' etabliſſement des Bretons dans les Gaules, par Mr. de VERTOT. Paris 1720.

HISTOIRE CRITIQVE de la philoſophie par Mr. DESLANDES. tom. I. pag. 70. ſqq.

HISTOIRE de l' academie royale des ſciences et belles lettres tom. II.

HISTOIRE LITERAIRE de la France tom. I. mox ab init.

HISTOIRE VNIVERSELLE depuis le commencement du monde jusqu' a preſent, d' une ſocieté de gens de lettres, tom. I. dans l' introduƈtion pag. 52. it. p. 21. ſq.

HISTOIRE et REGLES de la poeſie Françoiſe. Amſt. 1717. 12.

HOFMANNVS (IO. IAC.) lexic. vniuerſal. tom. II. pag. 111. Lugd. Bat. 1698.

HORNIVS (GEORG.) hiſtor. philoſoph. lib. II. cap. XII.

HOTTINGERVS (IO. IAC.) Helvetiſcher Kirchen-Geſchichten tom. I. pag. 37. ſqq. it. pag. 58.

HOTOMANNVS (FRANC.) Franco-Gallia cap. II. pag. 9. ſeqq. it. pag. 365.

HVETIVS (PETR. DAN.) demonſtrat. euangel. prop. IV. cap. IV. §. 8. it. quaeſtion. Alnetan. lib. II. cap. XXI.

INDICVLVS ſuperſtitionum et paganiarum apud BALVZIVM, CALVOERIVM, ECCARDVM aliosque.

IONSIVS (IOAN.) de ſcriptoribus hiſtoriae philoſoph. lib. III. cap. XXVIII. §. XIII. pag. 159. et cap. XXXII. §. 6. pag. 189. *edit.* DORNII.

IOVIVS (PAVL.) hiſtoriarum ſui temporis lib. XXXIV. tom. II. pag. 686.

IRENICVS (FRANC.) exegeſ. hiſtoriae German. lib. II. cap. IX. fol. m. 55.

IRHOVIVS (GVIL.) de palingenſia ſ. metempſychoſi veterum lib. II. cap. VI. pag. 300. ſeqq.

IVNGIVS (IOACH.) Germania ſuperior. Hamb. 1685. 4.

Digitized by Google

DE S. IVLIEN (PIERRE) melanges hiſtoriques et recueils de diverſes matieres. a Lyon. 1589. 8. praefat.

IVNCKERVS (CHRISTIAN.) Anleitung zur Geographie der mittlern Zeiten. Jena 1712. 4.

KIRCHMAIERVS (SEBAST.) diſſ. de Germanorum antiquor. idololatria, ad loca quaedam Taciti. Witteberg. 1663.

KIRCHMANNVS (IOAN.) de funerib. Romanor. lib. III. cap. IV. pag. 330. ſqq.

KOELERVS (IO. DAV.) diſſ. de ſcholis veterum recentiorumque Germanor. Altorff. 1725. it. Programm. de Scaldis, ſeu poetis gentium arctoarum vetuſtiſſimis. ibid. 1724.

von KOENIGSHOVEN (IAC.) Aelteſte Elſaſſiſche und Straſsburg. Chronica, cum annotat. SCHILTERI. Straſsburg 1698. fol. praefat. §. II.

KORTHOLTVS (CHRISTIAN.) tract. de Philoſophia barbarica. Jen. 1660. 4.

KRANTZIVS (ALB.) Saxoniae lib. II. cap. IX.

KYRIANDER (GVIL.) annal. Treuerenſ. P. III. p. 36.

KÜHNIVS (IOACH.) obſeruat. prima in LAERT. edit. MELBOM. pag. 511.

LANSIVS (THOM.) conſultat. de principatu inter Europae prouincias pag. 222. 602. et 662.

LAVTERBACHIVS (IOAN.) diſſ. I. de carminibus veterum Germanorum. Jenae 1696. 4.

LAZIVS (WOLFFG.) de gentium migrationibus lib. V.

LEIBNIZIVS (GOD. GVIL.) epiſtol. ad diuerſos tom. I. epiſt. 230. pag. 422. it. collectan. etymologicis, vid. *Beyträge zur crit. hiſtorie der Deutſchen Sprache.* cet. *vol.* I. *pag.* 363.

LEWIS (IOAN.) hiſtoria magnae Britanniae, angl. per TH. TWYNE, Lond. 1729. fol. vid. BIBLIOTHEQVE RAISONNEE *des ouvrages des ſçavans de l' Europe tom.* IV. *pag.* 363.

LEXICON Allgemeines HISTOR. voc. Bardi, Druidae, Semnothei.

von LINGEN (HERM. VLR.) kleine Teutſche Schrifften P. I. pag. 8. et 31. it. P. I. Jenaiſcher academiſcher Neben Stunden p. 42. et 45. ſq.

LIPSIVS (IVST.) operum tom. IV. pag. 434. col. A. et pag. 617. col. A. itemque in TACITI annal. lib. XII. cap. 42. et in SENECAM quoque phyſiolog. Stoic. lib. III. diſſ. XII. pag. 172.

Digitized by Google

LOCCENIVS (IOAN.) antiquitat. Sueo-Gothicar. lib. I. cap. III.

LVBBERTI (HENR.) Verkehrtes und bekehrtes Teutſchland, citante DOEDERLINO.

MAGDEBVRGENSES CENTVRIATORES centur. I. pag. 680. & centur. VII. pag. 542.

MACKENZIE (GE.) defenſion. antiquitatis regalis Scotorum proſapiae cap. II.

MAIORIS (IO. DAN.) Bevölckertes Cimbrien. Ploen. 1692 fol.

MARCEL (GVIL.) hiſtoire des Gaules tom. I. cap. VI.

MARTINIVS (MATTH.) lexico philolog. voc. *Bardus* et *Druides*.

MASCOV (IO. IAC.) Geſchichte der Teutſchen tom. I. pag. 49. ſq. et alibi it. diſſertat. de primatibus, metropolitanis, et reliquis epiſcopis eccleſ. Germ. Lipſ. 1729. 4.

MASENIVS (IAC.) ad Broweri annal. Treuireſ. proparaſceuen tom. I. pag. 104.

MASIVS (HECT. GOTTFR.) de Diis obotritis pag. 31. 32. it. pag. 103. ſq. 109. cet. in diſſertatt. ejus academic. a SEVERIN. LINTRVPIO edit. pag. 1040. ſqq.

MATTHAEI (ANT.) veteris aevi analecta, recenſ. a NEOCORO *biblioth. libror. nouor. tom.* II. *pag.* 75. *ſqq.*

MEICHELBECKIVS (CAR.) prolegom. ad hiſtoriam Friſingenſem tom. I. pag. 2.

MEIBOMIVS (HENR.) ſenior, diſſ. de Irmenſula, Helmſt. 1612. 4. et *tom.* III. *ſcript. rerum German.* a nepote eiusd. nominis edit. *pag.* 3. *ſqq.* recuſa. it. in hiſtor. Bardeuici ibid. pag. 79.

MEINARDVS (FRANC.) orat. de viſco Druidarum, quae prima eſt oratt. Auguſtoriti-Pictonum 1614. 8. editarum.

MEINDERS (HERM. ADOLF.) antiquit. Saxon. et Franc. p. 174. ſqq. cit.

MELETIVS (IOAN.) epiſtola de ſacrificiis et idololatria veterum Boruſſorum, Liuonum, aliarumque gentium vicinarum ad GE. SABINVM, in ACTIS BORVSS. *tom.* II. *pag.* 401-412.

MELLINVS (GE. IAC.) diſſ. de Sueuia gentili, Jenae 1695. p. 26. 27. 34.

MEMOIRES de Trevoux, ad ann. 1704.

MENAGIVS (AEGID.) ad Laert. pag. 3. edit. MELBOM.

MERVLA (GAVDENT.) de Gallorum cis-alpinorum antiquitate et origine lib. III. cap. I. et X. apud GREVIVM *theſaur. antiqq. et hiſtoriar. Italiae tom.* I.

Digitized by Google

MERVLA (PAVL.) Coſmographiae, part. II. lib. III. cap. XI. e quo excerpta damus *ſupra pag.* 185. ſq.

MICRAELIVS (IOAN.) vom alten teutſchen Pommerland.

MIDDENDORPIVS (IAC.) de academiis orbis terrarum celebribus lib. V. pag. 113. ſqq. et lib. IV. pag. 342.

MILAEVS (CHRISTOPH.) vniuerſitatis rerum hiſtor. lib. V. qui agit de hiſtoriae litteratura pag. 324. 350. et 365.

MISCELLANEA LIPSIENSIA tom. II. pag. 577.

MONTANVS (ARN.) apud HELVETIVM pag. 33.

DE MONTFAVCON (BERN.) antiquité expliquée tom. II. part. II. lib. V. cap. VI. pag. 436. ſq.

MORERY (LOÜIS) Dictionnaire hiſtorique tom. II. pag. 380.

MORHOFIVS (DAN. GEORG.) polyhiſtor. tom. I. pag. 91. & 129. itemq. de poeſi German. cap. IV. pag. 208. et cap. VI. pag. 279. ſq.

MVLLERS (IO. SAM.) Geſpraeche der Welt-Weiſen.

MYLAEVS (CHRISTOPH.) libr. III. de priſca Gallorum lingua in quibus multa de Druidarum doctrina differuntur. citat. NEANDRO *praefat. ad erotemata Graecae linguae pag.* 122.

MYLIVS (ABRAH.) de ling. Belg. add. in ſpecie ad cap. 21.

NEVE BIBLIOTHEC part. XVIII. pag. 651. part. XL. pag. 892. et part. LXV. pag. 777.

OLEARIVS (IO. CHRISTOPH.) ſyntagm. rerum Thuringicarum.

OMEISIVS (MAGN. DAN.) differt. de Germanorum veterum theologia et religione pagana. Altorff. 1693.

OPORINVS (IOACH.) hiſtoria critica doctrinae de immortalitate mortalium pag. 2.

ORTELIVS (ABR.) tabb. Caeſaris Galliae.

OTFRIDVS in euangelio.

OTTO (EVER.) de Diis vialibus pag. 57. ſq. it. iurisprudentia ſymbolica pag. 62.

PALTHENIVS (IO. PHIL.) apud SCHILTER *theſ. antiqq. teutonic. tom.* III. *pag.* 212. ſq.

PANTALEO (HENR.) proſopographia heroum atque illuſtrium viror. Germaniae, P. I. pag. 41.

PATRICIVS (FRANC.) de inſtitutione rei publicae.

PELLOVTIER (SIMON) opere longe eruditiſſimo, hiſtoire des Celtes, & particulierement des Gaulois et des Germains; in pr. lib. II. cap. IX. X.

PETRVS (SVFTR.) de Friſiorum antiquitate et origine. Franequ. 1698. vid. BARINGIVS praef. ad clau. diplom. pag. 31. not. (b)

PEZRON (PAVL.) antiquité de la nation et de la Langue des Celtes. Paris 1703. 8.

PIGHIVS (VINAND.) Hercule prodicio.

PITHOEVS (PETR.) aduerſar. ſucciſiu. lib. I. c. III. et lib. II. cap. VI.

PONTANVS (IO. ISAAC.) gloſſar. priſc. Gallico, ad calcem itinerarii Galliae Narbonenſis. (Lugd. Bat.) pag. 292.

POSTELLVS (GVIL.) Etrur. orig. pag. 233.

PRAETORIVS (MATTH.) orb. Goth. lib IV. cap. II. §. 4. pag. 27. ſq.

PREGIZERVS (IO. VLR.) Sueuia et Würtembergia ſacra.

REIMANNVS (IAC. FRID.) hiſtor. litterar. German. Part. I. & II. pag. 19. ſq. pag. 55 - 59. et pag. 150. 157. it. Idea ſyſtematis antiquit. litter. pag. 6. ſqq. it. hiſtoria atheiſmi et atheor. pag. 304.

REINESIVS (THOM.) var. lection. lib. III. cap. I. pag. 306.

RHENANVS (BEAT.) rerum Germanicar. lib. III.

RHODE (ANDR. ALBR.) Cimbriſch - Holſteiniſche antiquitaeten-remarques; Hamb. 1720. 4. vid. *Deutſche Acta Erud.* vol. VI. pag. 1014. ſeqq.

RHODIGINVS (LVD. COEL.) lection. antiq. lib. XVIII. cap. XXII. pag. 855.

DES ROCHES hiſtoire de Dannemarck praefat. part. II.

RORARIVS (HIER.) quod animalia bruta ſaepe ratione vtantur melius homine, *ex edit.* cel. GE. HEINR. RIBOVII *pag.* 497. ſqq.

ROSSENS (ALEX.) Wunderwürdiger Juden- und Heyden - Tempel auſs dem Engliſchen verteutſcht durch DAVID NERRETER. pag. 917. ſqq. it. pag. 13. ſq.

ROVILLARD (SEBAST.) Parthenie; ou hiſtoire de la tres - auguſte et tres - devote egliſe de Chartres, dedie par les vieux Druides en l' honneur de la vierge, qui enfaiteroit. cet. Paris 1609. 8. cap. I. n. 5.

ROWLANDS (HENR.) de antiquitatibus inſulae Angleſegae, ſeu Monae, priſcae ſedis Druidum Britannorum. Dublini 1723. 4.

RVDBECKIVS (OL.) Atlantic. pag. 817. cet.

SAGITTARIVS (CASP.) antiquitat. gentiliſmi Thuring. lib. I. cap. III. it. hiſtoria Bardeuici. Jen. 1674. 4. it. de ianuis veterum p. 5. ſq.

SALMASIVS (CLAVD.) ad FLAV. VOPISC. Aurelian. c. 39. p. m. 522. a.

SAV-

Digitized by Google

SAVBERTVS (IOAN.) de ſacrificis cap. VII. pag. 163. ſqq.
SCHATENIVS (NICOL.) hiſtoria Weſtphaliae, lib. I. p. 46. & annal. Paderborn.
SCHEFFERVS (IOAN.) Vpſal. antiq. cap. V. & XVI. pag. 308. ſq. it. de philoſophia Italica pag. 18.
SCHILDIVS (IO.) de Caucis, nobiliſſimo veteris Germaniae populo. Lugd. Bat. 1649. 8. vid. KEYSERVS pag. 78.
SCHILTERVS (IOAN.) praefat. ad gloſſar. Alemann. pag. XVI. ſq. it. gloſſar. pag. 87. ſq. et pag. 243. ſq.
SCHLOEPKEN (CHRISTIAN.) chronic. Bardeuic.
SCHMELZIVS (AMAD.) de idololatria vett. Miſniae incolarum Lipſ. 1698. 4.
SCHMIDIVS (IO. ANDR.) diſſert. de ouo mundano. Ienae 1693.
SCHMINCKIVS (IO. HERM.) de cultu religioſo arboris Iouis, praeſertim in Haſſia. Marburg. 1714. 4. it. de vrnis ſepulchralibus et armis lapideis vett. Cattorum. ib. eod. 4.
SCHOTTELIVS (IVST. GEORG.) von der Teutſchen Haupt-Sprache pag. 16.
SCHVLZIVS (IOAN.) florum ſparſione ad loca quaedam, in re litteraria controuerſa pag. 217.
SCHÜTZIVS (GODOFR.) de cruentis Germanorum gentilium victimis humanis, lib. Lipſ. 1743. 4.
SCHVRZFLEISCHIVS (HENR. LEONH.) notitia bibliothecae principalis Vinarienſis pag. 2. ſqq.
a SEELEN (IOAN. HENR.) ſelect. litterar. pag. 457. ſq.
SELDENVS (IOAN.) analect. Anglo Britannic. pag. 861. ſeqq. et Jano Anglorum paſſim. it. de ſynedriis vett. Ebraeor. lib. I. pag. 1007. vol. I. tom. II. opp. it. de Diis Syris pag. 35. *edit.* BEYERI, *et huius obſeruatt.* pag. 290.
SENCKENBERGIVS (HENR. CHRISTIAN.) bibliotheca antiquitatum Germanicarum, adnexa prodromo iuris feudalis. Francof. 1735. 4.
SERARIVS (NIC.) de rebus Moguntiacis lib. I. cap. XV. pag. 63.
SHERINGHAMVS (ROB.) de origine gentis Anglorum. Cantabrig. 1670. 8.
SPANHEMIVS (EZECH.) commentar. ad IVLIANI caeſares pag. 303. edit. I. it. orbe Roman. pag. 93. edit. HEINECCII.
SPANHEMIVS (FRID.) operum tom. II. fol. 389. ſq.

SPEL-

Digitized by Google

SPELMANNVS (HENR.) gloſſar. archaiologic. Lond. 1687. fol.

SPENERVS (AR.) notitia Germaniae antiquae pag. 11. 97. ſq. et 121. it. hiſtoria German. vniuerſal. pragmat. tom. I. pag. 96.

SPIZELIVS (THEOPH.) de re litteraria Sinenſium, ſect. VI. p. 79. ſq.

STAPLETONVS (THOM.) Vid. CLEFFELIVS *antiquitat. Germanor. potiſſimum ſeptentrional. ſelect. pag.* 465.

STRAVCHIVS (AEGID.) diſſert. de computo veterum Germanorum Witteberg. 1661.

STRVVIVS (BVRC. GOTTH.) corp. hiſtor. Germ. prolegom. ſect. II. pag. 29. ſqq. it. notitia Sueuiae antiquae pag. 31. §. XLVII.

STVCKIVS (IO. GVIL.) deſcript. ſacrorum et ſacrificiorum gentilium.

TENZELIVS (GVIL. ERN.) Monathlicher Vnterredungen ann. 1689. pag. 711-714. ann. 1694. pag. 335. ſq. ann. 1698. pag. 46. ſq.

THOMASIVS (IAC.) de triplici Gallorum philoſophia, in praefatt. diſpp. Lipſ. 1681. 8. praef. 79. it. de exuſtione mundi Stoica p. 62. it. diſſert. de vagantibus ſcholaſticis §. 121. ſqq.

THVANVS (IAC. AVG.) hiſtoriarum lib. XCII.

TILLEMONT (SEBAST. LE NAIN.) memoires pour ſervir à l'hiſtoire des empereurs tom. I. pag. 28. et pag. 411. *edit. Bruxell.* 12.

TOERNERVS (FABIAN.) diſſert. de poeſi Skalldorum ſeptentrionalium. Vpſal. 1717. 8. Vid. *Beyträge zur critiſchen hiſtorie der Deutſchen Sprache* cet. *vol.* I. *p.* 105. *ſq.*

TOLLIVS (IAC.) epiſtol. litterar. Vid. NEOCORVS *tom.* III. *p.* 718. *ſqq.*

TORFFAEVS (THORMVND.) hiſtoria Noruegiae.

TREVERVS (GOTTL. SAM.) delin. theſauri antiquit. Germanicar. Helmſt. 1730. et 1733. it. anaſtaſi Germani Germanaeque feminae. ib. 1730.

TRICHORIVS (H. C.) muſei Bremenſ. Vol. II. pag. 132. ſqq.

VELSERVS (MARC.) operum pag. 3. et 572.

du VERDIER (ANT.) bibliotheque de France. Lyon 1585. fol.

VERGILIVS (POLYDOR.) hiſtor. Anglican. lib. I. pag. 27. et de rerum inuentor. lib. IV. cap. XII.

VIVES (LVDOV.) ad AVGVSTINI de ciuitate Dei lib. VIII. cap. IX. pag. 470.

a VORBVRG (IO. PHIL.) hiſtoria Romano-Germanica tom. I. p. 13. tom. II. pag. 39. 67. 77. 427. et tom. III. pag. 351.

VOSSIVS (GER. IOAN.) etymologico Linguae Latinae p. m. 64. et 187.

Digitized by Google

et 187. de ſectis philoſophor. cap. III. §. 6. ſq. itemque de idololatria lib. I. cap. 35.

VRIESLANDES Oudheden en Geſchichten met Aanteken. I. Deel. pag. 282-285. edit. in 8.

VSSERIVS (IAC.) antiquit. eccleſ. Britann. cap. III. IV.

WACHTERVS (IO. GEORG.) gloſſario German. maiori et minori paſſim. in 8. et fol.

WAEGEMANNVS (CHRISTOPH.) Entwurff von dem Druiden-Fuſs am Haynen-kamm, und an der Altmühl. Onolzbach 1712. 8.

WAGENSEIL (IO. CHRIST.) von Meiſter-Sängern, ad calcem comment. de Noriberga.

WEISIVS (CHR. HENR.) antiquitt. Miſno-Saxonicarum ſingular. (Chemn. 1727. 8.) pag. 103.

WIDENMANNVS (IO. GE.) orat. de ſcholis priſcos inter Germanos non omnino incognitis. Brandenburgi 1727. 4.

WINCKELMANNVS (I. I.) notit. vet. Saxo-Weſtphaliae lib. III. cap. II.

WOLFIVS (IOAN.) lection. memorabil. tom. II. pag. 112. ſq.

WOLFIVS (IO. CHRISTOPH.) obſeruatt. ad Origenis philoſophumena pag. 168. ſqq. it. Manichaeiſm. ante Manich. pag. 101. ſq.

WOORDEN-BOEK (groot algemeen-hiſtoriſch cet.) litt. D. p. 191.

ZIEGLERVS (HEINR. ANSHELM.) Schauplatz der Zeit. Lipſ. 1700. f.

ZIEGLERVS (HIER.) illuſtrium Germaniae viror. hiſtor. aliquot ſingular. Ingolſt. 1562. 4. cap. X.

ZORNIVS (PETR.) opuſcul. ſacr. tom. I. p. 38. ſq. tom. II. pag. 220. et pag. 418. *

F I N I S.

005673896

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google